EMBLEMATUM ETHICO-POLITICORUM CENTURIA. COLO MATTH: MERIANI

Julius-Wilhelm Zinckgreff

Digitized by Google

*48. G. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*48.G.30


NON TIBI SVM STRATVS.
EMBLEMATVM
ETHICO-POLITICORVM
CENTVRIA
IVLII GVILIELMI
ZINCGREFII.
Cælo
Matth: Meriani.
M D C XLX.
SPIRANTE.
AD
DEO.
Prostat
Apud Iohann.
Theodor de Bry.
VBERTATE.
REPENDET.
MORAM.

SERENISSIMO PRINCIPI

FRIDERICO

COMITI PALATINO RHENI,

SACRI ROMANI IMPERII VIIviro,

DUCI BOIARIÆ

Domino suo Clementissimo

JULIUS GUILIELMUS ZINCGREFIUS

SESE ATQUE ISTA

Cum æternâ fide, devoto cultu, obsequio paratissimo

Dedicat Consecratque,

ET cui potius, quam tibi, Domine? Laudantur enim hæc, & commendantur ad posteros eæ virtutes, quas in te quotidiè suspicimus, quas à te discimus; tanguntur mala, quæ tuo tecum exemplo detestamur; impugnanturque vitia, quæ tu ab ineunte iam ætate & expugnasti & vicisti. Tuo negotio nobis & Musis lautum hoc otium contingit, sub cuius isthæc umbrâ meditamur: tuus labor quietos, tua cura securos nos præstat. Et ne à publicis ad privata beneficia, innumera illa, enumeranda devolvar, tuebitur edentem me sub augusto Nominis tui patrocinio libel-

lum hunc vel una vetus ista consuetudo, quam inde usque ab antiquis Græciæ civitatibus ad nostras has oras per orbem Romanum, unà cum meliori literaturâ, commigrasse verisimile videtur. Apud illas quidem, teste Aristide, *Diis templa, Principibus verò libros dedicare* vulgò iubebantur. Apud hunc autem, authore Vegetio, *mos fuit bonarum artium studia mandare literis, atq; in libros redacta offerre principibus: quia neq; rectè* (subiicit ipse) *aliquid inchoatur, nisi post Deum faverit Princeps, neque quenquam magis decet vel meliora scire, vel plura, quam hunc, cuius doctrina potest omnibus prodesse subiectis. Quod Octavianum Augustum, ac bonos dehinc Principes libenter habuisse, frequentibus declaratur exemplis.* Accipe ergo, Domine, & serenus accipe hoc quidquid est literarii munusculi, & sic habe, nullum te majus reddere munus posse tuo Clienti, quam si benignâ fronte illud admittis, & in aliquâ vacatione à gravioribus occupationibus (quibus publico bono parcendum est) respicere dignaris. Sic aspirante post Divinam tui quoque favoris aurâ, id faxo & operam dabo, ut qui tibi & patriæ fructus ex me meisque studiis debentur, eos tanto uberiores olim sis percepturus. Cui voto solenne illud pro tuâ, Domine, tuorumq; salute, incolumitate, felicitate, ac virtute denique invidendâ venerabundus annecto, cui quippe connexam esse nostram omnium & salutem & felicitatem haud ignoramus. Anno Christiano M DC XIX.

PRAEFA-

PRÆFATIO
DE
ORIGINE ET USU
EMBLEMATUM.

VSum & originem Emblematum indagaturo, de notatione vocabuli nonnihil videtur esse præmittendum. Derivant illud ἀπὸ τῦ ἐμβάλλω, eò quod vasis, alijsque id genus utensilibus apud veteres inserebantur, revellebanturque, cum libitum erat. Unde ab Ulpiano videntur appellari *accessiones ornandæ rei causâ adhibitæ*: Latinis *Insertæ*. Sic enim exaudiunt illud Publij Syri: *Nomen.* l. 19. §. 23 ff. de auro arg. mund.

Frugalitas inserta rumoris boni est.

Accipiebantur item pro vermiculato opere ex tessellis insititijs apto atque conserto, de quo post Lucilium Plinius, *Interrasa*, inquit, *marmore, vermiculatiq; ad effigies rerum & animalium crustis*. Quæ res apud *Phœnices* originem sumsisse videtur, qui primi, si Lucano credimus, ausi Cic. in oratore ad Brut: lib. 35. hist. nat. c. 1. *Origo Rei.*

Mansuram rudibus vocem signare figuris,
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & saxis tantum volucresq; feraq;
Sculptaq; servabant magicas animalia linguas. lib. 3. pharsal.

Sed illos eandem hanc rem ab Ægyptijs accepisse vult Tacitus. *Primi per figuras animalium*, inquit ille, *Ægyptii sensus mentis effingebant, & antiquissima monimenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur; & literarum semet inventores perhibent: inde Phœnices, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamq; adeptos, tanquam repererint, quæ acceperant.* Huic accedit locupletissimus ab antiquitate testis Diodorus Siculus, qui, *de literis*, inquit, *Æthiopicis, & his, quas Hieroglyphicas Ægyptii nominant, aliquid dicendum est. Primæ istarum variis bestijs & hominum membris, instrumentisq; fabrilibus potissimum assimiles sunt. Nam Emblemata apud eos literaria non compositione syllabarum, sed descriptarum imaginum significatu & translatione per exercitationem memoriæ insculpta, subie-* lib. 11. Annal. c. 14. lib. 3. Hist. *Sedes corpo- rum Emblematicorum.*

ſtam orationem exprimit & abſolvit. Iam enim accipitrem, Crocodilum, ſerpentem, iam de corpore humano aliquid, puta oculum, manum, faciem & huiusmodi alia ſcribunt. Accipiter illis cuncta, quæ celeriter fiunt, ſignificat, quod avis hæc omnes ferè alias velocitate ſuperet. Ratio q̃ congruis metaphoris ad omnia ſubita & his affinia, perinde ac ſi dicta forent, applicatur: Crocodilus omnis malitiæ index eſt. Oculus iuſtitiæ ſervator & cuſtos corporis. Inter extrema corporis membra, dextra expaſis digitis victus ſuppeditationem, ſiniſtra contracta conſervationem facultatum & cuſtodiam denotat. Eadem ſe ratio ad cæteras quoq̃ corporis & inſtrumentorum, adeoq̃ omnium formas extendit. Dum enim in unoquoq̃ ſignificationes abditas ſequuntur, animosq̃ diuturno ſtudio & memoriæ cultu exercitatos intendunt, exactè ſingula figuris

lib. 1. Hiſt. *adumbrata legunt & intelligunt.* Idem de iisdem Ægyptiis author eſt, *Reges eorum caput Leonis, vel Tauri, vel Draconis, principatus inſigne, in capite geſtaſſe: cumq̃ ab initio nullam omninò militarem diſciplinam haberent, & ob id à vicinis bello ſæpius ſuperarentur, eos excogitaſſe ferre aliquod inſigne, quod milites ſequerentur. Figuras igitur animalium, in tabulis pictas, Ductores eorum in bello tuliſſe: unde cognitum, ſervatumq̃, ſub quo quisq̃ ordine militaret, victoriamq̃ conſecutos.* Id quod ad alios deinde populos translatum eſt. Certè optima quæque militaria præcepta, & alia multa, bellicam ad artem pertinentia, ab Ægyptiis ad La-

vide Plutarch. in Lycurg. Cic. li. 1. Thuic. & Ep. 1. ad Quint. fr. nec non Veget. prol. lib. 3 & c. 10. ac 17. eiusdem lib. cedæmonios per Lycurgum, & alios, tranſportata fuére, à quibus ad reliquam, & ad magnam quoq; Græciam (quemadmodum præter LL. duodecim tabb. alia complura,) tranſierunt: unde res ea unà cum Imperio, cæterisque Imperii inſtitutis, ad alios Europæos porrò ſeſe diffudit, apud quos etiamnum hodie non tantum armis, peltis, ſcutis, talia paſſim appingi ſolere videmus, verum etiam vexillis & ſignis noſtratium, in quibus interdum integra familiarum inſignia, interdum Symbola Centurionum, nonnunquam etiam iuſta conſpiciuntur Emblemata, omninò ad ingenium militum, quos etſi literas neſcientes figura tamè haud patitur à ſuis aberrare. Simile

Strabo lib. 14. Plutarch. in Artoxerxe. quid ad *Cares* referunt, *quos* aiunt *ſtudii ſui ergà rem bellicam teſtimonia attuliſſe criſtas & inſignia ſcutorum.* Nec minus *Celtas habuiſſe ſcuta, inſigni proprio variegata; quoſdam etiam illorum æneas animalium imagines*

lib. 5. Hiſt. *pratuliſſe*, prodidit idem *Siculus*. Et ut revertar ad Græcos, apud illos hoc uſitatiſſimum fuiſſe, pauca hæc è multis oſtendunt exem-

Plutarch. in vitis decem Orator. pla. *Demoſthenes, cum fugientem ipſum in prælio chlamyde rubus reprehenderet, hoc clypeo poſteà notatum habuit, ſub hac inſcriptione: Bona fortuna.*

Puer

Puer adhuc Telemachus, cum fortè in mare per lubrica decidisset, excipientibus Delphinis evasit: hinc sculpturam annulo, & Vmboni clypei signum pater Vlysses Delphinum inscripsit. Clypeus *Achillis* terram, cœlum, mare, Solem, Lunam, & sydera, summâ mundum universum continebat. *Alemanis* clypeo Draconem attribuunt. *Homericus Agamemnon* habuit *celatam Gorgone parmam*, ut & *Phorcus*, & *Vespasianus Imp.* Nam id commune multis insigne fuit: quemadmodum & hodie sæpius eadem Emblemata cernimus à diversis usurpari. Tribuit tamen & Agamemnoni *Pausanias* caput Leonis, cum his verbis: *Hic est terror hominum.* Apud *AEschylum in septem Ducibus ad Thebas*, illorum uni pro clypeocentro adscribitur *plenilunium*, alteri *vir nudus, cum face ardente* in manu, & hoc symbolo literis aureis assignato: *Comburam urbem.* Alius in clypeo dicitur habuisse *virum armatum, per scalas in turrim hostium ascendentem*; *Iustitiam* alius, habitu muliebri pictam; *quæ manu ducens hominem, militem visu*, literis adiectis hæc quasi profaretur: *Reducam hunc virum in urbem.* Alius Jovem cum fulmine, alius Sphingem, Typhona alius per os fumum emittentem. Alius denique Thebanum virum in clypeo pictum gestasse narratur, *ut quam plurima* (quod ibi dicitur) *in virum tacula mitteret. Amphiarai* tandem Clypeum is ipse Tragicus describit *rotundum, æneum: non verò* (addit,) *scuto inerant insignia; nam non vult videri, sed esse bonus:* ut hinc appareat, hanc rem iam tum quoq; vanitatis alicuius argui solitam, quam revera præ se ferunt hodiernæ nonnullorũ Impresæ, ut vocant, quas aliqui negant, Minervæ calculum mereri posse, nisi grande quid & plusquam humanum spirent. Ideoque species hæc ostentationis apud Romanos olim non promiscuè permissa, nec nisi factis iam claro, qui sese suasque virtutes egregiis rebus gestis approbarat, & adeò de futuris gloriari ac spondere meritis his vulgò δειγμασι poterat. Primó enim anno milites scutum sine omni argumento & insigni candidum gestasse, docent ad Virgilianum illud: *Parmâq; inglorius albâ.* Sed ut ad alia aliorum pergam, *Aventini* clypeus *cinctam serpentibus hydram* habuit, *Grosphi* taurum. In scuto *Mariano Cimbrico, galli gallinacei*, pugnacissimi alitis, depicta fuit imago. *Hercules Alemannus* gentis Bojorum pater atque conditor, quem primum Herculem fuisse autumant, in clypeo suo Leonem gessit, propterea quod Leo bestiis omnibus imperitat; unde invictum ad fortia facta animum & impetum ex insigni-

Id. lib. de induſtr animal. Homer. ἰλιαδ. ε. Pindar. Pith. γ. Sil. Ital. li. 10. lib. 9. Æneid. lib. 7. Æn. Sil Ital. lib. 4. Quintil. l. 6. c. 2. D. Hieron. & Euseb. Tacit. de mor. Germ. c. 2. 9. & 34.

signibus monstrabat. Porrò milites Romani adhuc aliud quid tale habebant in consuetudine positum, quamvis non soli, (etenim
Plutar in Mario. id frequentissimum etiam apud *Cimbros* & *Germanos*) ut nempe galeis Luporum pelles, ac Leonum, aliorumque animalium hiantium formas imponerent, quod non tam formidolosum hostibus,
Polyb. lib. 6. quam ipsis gestatoribus *integumentum pariter esset ac insigne, ut in prelio ignaviter aut strenuè se gerentes facilius agnoscerentur.* Exemplum submINistrat Princeps poëtarum:

Virg d.l.7. Æn.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est,
Cui triplici crinita iubâ galea alta Chimæram
Sustinet, AEthneos efflantem faucibus ignes.
At lævem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Celatâq; amnem fundens pater Inachus urnâ.

Quo argumento dicerem aliquatenus adumbrari conditionē ipsius Turni: nec falsò etiam abhinc descendisse putarem, morem illum, quo *Galeas & Insignia familiarum* hodiernum in diem istiusmodi plumis & animalibus exornare solent.

Plin. l. 10. c. 4. In vexillis quoque & signis Rom. veterum erant *Aquilæ, Lupi, Minotauri, Equi, Apri:* & illa ipsa non sine tacito quodam & recon-
lib. 3. c. 6. dito sensu, quod ex Vegetio discimus; qui, *Ob hoc*, inquit, *veteres Minotauri signum in Legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo & secretissimo Labyrintho abditus perhibetur: ita Ducis consilium semper occultum esset.* Germani quoque maiores nostri ferarum imagines pro
lib. 4. hist. c. 22. signis habuisse scribuntur à Tacito. Veteribus Alanis Burgundionibusque, iuxtà *Methodium*, insigne bellicum erat felis liberè excurrentis imago, quâ innuebant, se pro libertate pugnaturos: Catus enim captivitatis impatientissimus. Armeniis aries, Corinthiis Pegasus arridebat. Africani Elephantem elegerant, Milesij Leonem. Athenienses Noctuam, Suevi Ursum, Leopardum Aquitani maluerunt. Scythis fulgur, Thracibus Martem, Phœnicibus Herculem, Cilicibus armatum caput gestatum fuisse legitur. Idem obtinuit etiam in navibus. Unde Virgilius lib. 5. Æneidos:

Centauro invehitur magnâ

videlicet navi; cui nomen hoc exinde impositum, quod Centauri habue-

habuerit insigne. Sed & iisdem inscripta vulgò symbola hæc: *Felix navigatio*, aut, *Providentia curaque servatrix*. Quod vidimus apud *Belgas*, ac alios maritimos, etiamnum observari: & apud *Massilienses* etiam, inter alias præsidiarias naves Regias unam memini Solis effigiem præ se ferre, cum hoc symbolo: *Orientem & occidentem lustro*. Habebant etiam veteres in prorâ sive puppi collocatam imaginem alicuius Dei, sive animalis, ut arietis, hirci, & aliorum, quæ & *tutela & παράσημον τῆ νηὸς*, *insigne navis* esset, unde & cognomentum sortiebatur, de quâ re vide post alios Lazarum Bayfium in tract. ad l. 2. ff. de captiv. & postlim. reversi. Plutar. in sympsi de mirabilibus Stoicor.

In annulis denique signatorijs veterum simile quiddam fiebat. Pompeius & Sylla in suo quilibet tria trophæa habebat, Augustus Sphingem, Galba canem ex prorâ navis prospectantem, Mecænas ranâ, Papirius Cursor Pegaso signavit. Annuli Pliniani apostrophragisma erat quadriga; Pompeiani item, Leo ensem tenens. Et ut finiam, huc etiam Imp. Augusti Delphinum ancoræ circumplexum cum symbolo: *Festina lentè*; referemus, præeunte *Paulo Iovio*: quidquid ei contradicat alter ille, qui tamen interim ipse ludicra nonnulla, quæ Veneris potius, quam veram veræ Virtutis militiam sapiunt, plenis buccis dilaudat, & vel invitis Gratijs in cœlum evehit. Adducendus huc quoque Antiochi Leo cum Caduceo, bos Thesei, Seleuci Taurus, Caij Marij boves coniugati, & Attilæ vultur coronatus. Dio Cass. l. 42. Id. lib. 51. Plin. l. 37. c. 1. Plin. Iun. l. 10. Ep. 16. Plut. Pomp.

Ex quibus omnibus evidens est, quantum distent hodierna familiarum insignia ab illis veterum, quibus eorum unusquisque suo modo ac lubitu assumtis utebatur, nec ob id statim gentiles suos ad eadem illa retinenda obnoxios habebat. Adeoque clarè patet, quam frustrà sese torqueant nonnulli antiquitatis ignari, qui suæ demum ætati hanc inventionem deberi, sibi persuadent: quod ut eo facilius credulitati hominum insinuent, nonnihil addunt de suo, & novis minutiis rem antiquissimam & liberrimam angustare satagunt.

Divisio Emblematum.

At quis non videt, ex ijs quæ diximus, *Emblema* generalissimum esse nomen, quo quævis figura, sive picta, sive cælata, significatur, quodque sub ambitu suo complectatur illam alteram speciem *Emblematum universalium*, habentium aliquod nocma dogmaticum generale: vel significationem virtutis, vel detestationem

vitij, vel denique instructionem ad prudentiam, eamque restrictam ad nullum certum hominem privatum; qualia plures ediderunt, inter quos familiam ducit Alciatus; Et quis non videt, illa, si privatim ad significandum aliquod speciale propositum adhibeantur, additâ ingeniosâ Epigraphe symbolicâ, uni tantum accommodatâ. (quod à principibus utplurimum viris, & à nobilissimis quibusve ingeniis fieri amat,) Emblematis istius generalissimi speciem alteram esse, quam vulgò *Impresam* nominant, & nos, (quoniam barbarum hoc) ad distinctionem, *Emblema singulare*? Quis porrò non videbit, si modò exempla superius enumerata rimari penitus volet, nihil aliud illa veterum, quam species horum fuisse? licet vel Emblemata, vel Impresæ, non dicantur apud authores, quandoquidem hæc vocabula nostro demum ævo & inventa, & his rebus hoc sensu applicata, quæ veteribus *Insignia* promiscuè vocabantur. Quantumvis etiam symbola, sive Inscriptionum verba, quæ picturarum implerent sensum, ab ijsdem authoribus non semper adjecta fuerint, negare tamen haud proclive fuerit, & aliqua fuisse adhibita ab illis, qui ea usurpabant, & ab his nostra demum originem duxisse. Quis denique non fateri cogitur, illa ipsa Emblemata *communia*, sive *universalia*, facile mutari posse in singularia, sive Impresas, & has facilius adhuc in illa; Hieroglyphica verò facilimè omnium in utrumque; & ista cuncta vel pro symbolis & insignibus, sive gestaminibus, usurpari posse? siquidem toti alicui exercitui, vel comitatui aulico, vel familiæ denique, singulare propositum aliquod honestum esse potest commune. Sed hæc hactenus.

Usus. Progredior ad usum. At quoniam illum, utpote multiplicem, ex parte aliquâ jam ante aliud agendo imprudens tetigi, unum tantùm, & eum minimè silentio prætereundum, superesse video, qui nimirum is est, ut invictissimi quique Heroes, vivam in sese virtutis imaginem circumferentes, non minus animorum simulacra, (quibus, dum vivunt, ipsimet ceu quotidianis stimulis ad præmeditatas laudes agerentur) quam corporis effigiem, pictæ huius Poëseos beneficio æternitati relinquerent, & ad æmulationem sui generosam quoque posteritatem excitarent, aptè *miscentes utile dulci*:

Horat. de arte Poet.

Nam certè oblectationes hæ de genere sunt illarum, quas Seneca laudans, *quemadmodum*, inquit, *calator oculos diu intentos ac fatigatos remittit, atq; avocat, & ut dici solet, pascit: sic nos animum aliquando debemus.*

Epist. 58.

debemus relaxare, & quibusdam oblectamentis reficere: sed ipsa oblectamenta opera sint: ex his quoque, si observaveris, invenies, quod possit fieri salutare. Vt enim (addo ex Plutarcho) *oculo is demum gratus est color, qui floridus simul, & amœnus, recreat, alitq; visum: ita mens ad illa deducenda spectacula est, quæ oblectando ad propria ipsam alliciant bona.* Cum igitur ea sit Emblematum natura, ut similitudine quadam, ad alia, quam quæ sensui exteriori offeruntur, intelligenda, trahant mentes nostras; nil commodius erit *his imaginibus*; quibus *si quis nos uti vetat, & poëtis solis iudicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse, apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. Illi qui simpliciter, & demonstranda rei causâ eloquebantur, parabolis referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem causâ, quâ poëtæ, sed ut imbecillitatis nostræ adminicula sint, & ut discentem & audientem in rem præsentem adducant.* Ita Sacras Literas constat plenas esse parabolarum, inibique nos ad formicas jam & locustas, jam ad araneas, jam ad agrorum Lilia, jam ad aves cœli, prudentiamq; serpentum, columbarumq; simplicitatem ablegari; nec immeritò, cum *Deus nos in hunc mundum quasi testes laudatoresq; suorum operum immiserit*, quo vocare nos subindè debet Regis exemplum Salomonis, qui *à Cedro, arborum procerissimâ, philosophatus est, ad Hyssopum usq;, minimam earum.* Et ad hanc ab Imp. Leone contemplationem invitamur his verbis: *Oportet nos, cum divinâ manu formati, mentemq; ac ratione præditi simus, brutorum præstantiæ non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehensione vacat, neq; à iustis vituperationibus libera est; sed tanto obnoxior, quantum brutali naturæ rationabilis prudentia antecellit.* Eôdem nos dirigens Seneca, *Pudeat*, inquit, *ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quantò vehementius nocet. Et perierunt profectò mores, si nec illis comparari possunt, quæ ratione carentia temperantur*, ait Rex Gothorum. Sanè certum est, *vestigia morum animi humani in animalibus cerni: nosse quippe commoda sua, & hostium adversa; semel decepta, non facile falli iterum; adeoq; nos eorum discipulos esse, ab illoq; infinita ad vitam, ad prudentiam civilem, & œconomicam, ad artem medicam, ad alia, didicisse*, testes omni exceptione majores sunt, Aristoteles, Plutarchus, Ælianus, Plinius, & alij. Quid quod *ea juris quoq; peritiâ censet* Imperator noster? Quid quod *à virtutibus instructiora multò, multoq; prudentiora, & feliciora hominibus animalia* affirmat, & tantùm non demonstrare conatur Gryllus Plutarchi? Certè Menander id adstruit his versibus:

Præfat. in Periclem & Fab. Max.

Senec. Ep 59.

Lactant. c. 9. de fals. sap.

3. Reg. 4. Ioseph. lib. 8. c. 2.

Novell. 90. pr.

Libr. 1. de clem. c. 19.

Cassiod. lib. 5. var. Epist. 42.

Iustinianus in pr. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civil.

Stob. serm. 96.

Animalia cuncta felicissima sunt,
Et multo magis homine sapiunt.
Primum intueri licet asinum istum,
Qui indubiè est animal miserum,
Nihil mali tamen ei suâ culpâ nascitur.
Sed quæ natura ipsi dedit, ea habet.
Nos verò præter necessaria mala
Ipsi per nos alia nobis insuper adiicimus,
Dolemus, si quis sternuerit: si maledixerit,
Iracsimur: si quis viderit insomnium, metuimus.
Ærumnæ, opiniones, ambitiones, Leges,
Ista omnia præter naturam, & ascititia mala sunt.

Polyb. lib. 6. hist. *Adeò ut non* sine causâ graviſſimo Hiſtoricorum *videatur homo, cum omnium animalium verſutiſſimum habeatur, omnium esse ſtolidiſſimum, & decipi facillimum.*

Sed puto ſatis meo me promiſſo exſolvi: quare ne diutius te differam, Lector, accipe pauca quædam de conſilio, & formâ noſtri huius opuſculi, quæ quidem non adeò eſt nova, nec ſine exemplo, nec ſine ſuo item uſu. *Quid enim utilius potui,* (ut cum eruditiſſimo huius ſeculi viro loquar,) *quam tot ſententias in unum conducere, pulcras, acres, & ita me ſalus amet, ad ſalutem natas generis humani? Nam quod ego eadem dicerem, ecquando mihi eadem vis, aut fides? Vt in uno aliquo telo, aut gladio, multum intereſt, à quâ manu veniat: ſic in ſententiâ, ut penetret, valde facit robuſta alicuius, & recepta authoritatis pondus. Atqui ea veteribus adeſt,* ex quibus iſta hauſimus. *Quid enim proprium noſtrum* (præfabor cum Solino) *eſſe poterit, cum nihil omiſerit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc uſq; ævi perſeveret? Quapropter quæſo te, ne de præſenti tempore editionis huius ſidem libres: quandoquidem veſtigia monetæ veteris perſequi, opiniones & ſententias univerſas erigere maluimus potius, quàm innovare:* Imitatione Imperatoris verè Auguſti, qui *in evolvendis utriuſq; linguæ autoribus nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta, & exempla, publicè vel privatim ſalubria, eaq; ad verbum excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum Provinciarumq; Rectores, aut ad urbis magiſtratus plerumq; mittebat: prout quiq; monitione indigerent. Etiam libros totos & Senatui recitavit, & populo notos per edictum ſæpè fecit, ut Orationes Q. Metelli, de prole augendâ, & Rutilii de modo ædificiorum: quo magis perſuaderet, utramq; rem non à ſe primò animadverſam,*

Forma huius operis.

Epiſtol. ad Autium.

Sueton. Auguſt. cap. 89.

ſed an-

sed antiquis iam tum cura fuisse. Huius intimus *M. Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesq; fecerunt, fælix in publicum fuit, dicere solebat; multum se huic debere sententiæ: Nam concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Hac se aiebat & fratrem, & amicum optimum factum. Quare* (prosequor cum Annæo) *si eiusmodi sententiæ, familiariter in animum receptæ, formant eum: cur non hæc pars philosophiæ, quæ talibus sententiis constat, idem possit? Pars virtutis disciplinâ constat, pars exercitatione. Et discas oportet, & quod didicisti, agendo confirmes.* Idcirco ne te tædio afficiant, mi Lector, si qua sæpiùs heîc reiterabuntur. *Bis enim aliquis ter*, (inquit Socrates,) *pulcrum est, ea quæ pulcra sunt, dicere atq; considerare.* Sed & porrò tibi *scien-dum* illud Epicteti, *quod homo non facilè ullum sibi dogma comparaverit, nisi quotidiè eadem dicat, & audiat, & simul ad vitam accommodet.* Senec. Epist. 94. Plato in Gorgiâ. Stobæus serm. 27.

Cùm denique (sicut antè relatum) Emblema nihil aliud sit, quàm similitudo quædam in picturam compacta, (quomodo Ciceroni metaphora dicitur, in verbum contracta similitudo;) te quæso, ne ad vivum omnia resecare, &, quod ait Varro, *stateræ auriæ pendere* velis, sed illa potius Cypriani cogites: *Exempla non per omnia similitudinem servare posse rei illius, cui prabere putantur exemplum, sed sufficere, si unius alicuius partis, pro quâ videntur assumta, similitudinem tenent. Ex quibus constat, exempla, non in omnibus, his, quorum exempla sunt, esse similia; alioquin si eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur, sed ipsa potiùs res, de quibus agitur, viderentur.* Quod si hoc abs te, Lector, impetravero, nihil erit, cur morer morosos istos *Canes, quibus*, juxta adagium, *difficile est lectum sternere, & quels innatum est, ut non pro veritate, sed pro consuetudine latrent.* Quos ego isthoc disticho cum bonâ pace dimissos hinc volo: In expositi. symboli Aposti. Seneca in Excerptis.

Hæc mea sunt, procul hinc, malè quicunq; illa legendo &
Interpretando facere discipis tua.

Trochæus
AD AUTHOREM.

Nemo non se vindicare morte quærit à nigrâ:
Nemo non studet Monetæ consecrare postibus
Nominis clari tabellam, perfruiq; posteris.
Calce sed pauci secundâ regiam premunt viam:
Improbas plures per artes cæcus error semitis
Mille sevocat siniſtris Vanitatis ad specum,
Pœna ubi cubat, cubatq; sera Pœnitentia.
Nil sed ille juris in te repperit, Mentis bonæ
Luce, Zincgrefi, ante eunte semper, adem ad auream
Gemmeæ Virtutis, aras adq; Honoris sobriÿ
Passu ÿsti haud delicato: jamq; contuberniis
Vtriusq; ultrò receptus, in quiete, in otio
Non inerti agis juventam, sortis ac rides vicem
Hanc & illam, Aeternitatis Candidatus haud niger;
Testium cui plus sat uno teste Conscientia.
Non rei quod nullum obire publicæ munus queas;
Pacis artes atq; Martis in Dices doctus sinu;
Ritè callens res profanas, ritè callens res sacras:
Sed Vatinios tot inter esse non cupis Cato;
Præmio æstimasq; vero cunctа Mundi inania.
Macte, Zincgrefi, profundæ mentis hac industriâ;
Absq; dote pura virtus cui placet, verusq; Honor
Absq; pompâ. Ebur curule purpuraq; adoreas
Sors solet negare dignis, & dare immerentibus.

Gloriam

Gloriam famamq; veram quilibet donat sibi,
Perpeti quæ possidentem gaudio ac penu beat.
Macte, Zincgrefi: ac Platonis & Cleanthis porticu
Occupatus, veritatem nocte liberâ suâ:
Atq; per ludum jocumq; luculenta Emblemata
Luminis dias in auras profer, ex quibus ruat
Quid sit æquum, quidve justum, quid pium, quid improbum,
Quilibet minore curâ, quàm Minervæ si Pepli
Explicet festos honores, detq; longo cernere
Ordine Heroas celebreis pacis aut belli artibus.
Macte, Zincgrefi, hoc laboris fonte parvo, à quo fluit
Rivus haud unus perenni flumine; unde Principes,
Vnde Musarum clientes, unde Bellonæ assecla,
Vnde cives, civiumq; plurimus rector, bibant
Nectaris meros liquores; quòq; eos frequentius
Haurient capace fauce, maior hoc urat sitis.

JANUS GRUTERUS.

EPIGRAMMA.

AUreûm venustant ut scyphum & argenteum
Aptè illigata agalmata:
Nitent ut asaroto pavimento inditæ
Diversiformes tesseræ:
Orationi sic, politis vocibus
Mixtæ affabrè sententiæ,
Addunt decoras & Veneres & Gratias,
Et unionum pondera.

Illu-

Illustriori sed feruntur lumine
Eiusmodi dædalmata,
In queis imago, juncta acuto lemmati,
Sensum cedro dignum efficit.
Huiusce tessellator artifex rei
Guilhelmus est Zincgrefius:
Verbisque pegmatisq; qui scitè additis,
Invenit hæc Emblemata.
Quæ scruta ne tu duxeris dupondia:
Musæa sunt cimelia.
Pressoq; dignus auctor ipsus pollice;
Doctique Circi plausibus.
Nam dulce miscens eleganter utili,
Punctum meretur omnium.

MELIOR ADAMUS.

ALIVD.

FElix priscorum fuit hac industria vatum,
Velatam vulgo Sophiam objeciſſe prophano.
En tecum per teq; redit, reddentibus astris,
Priscorum Sophie, prisciq; industria secli:
Atq; ideò quantum priscis simul omnibus illa
Debuerat, tantum ista tibi venturaq; soli
Posteritas debere Sopho, vatiq; fatetur.

ALIUD

ALIUD.

Plurimum latet hiſce ſub figuris
Antiquæ Sophiæ, ingenjque priſci;
Quanquam haud priſcus eas, ſed huius ævi
Homo invenerit, & novæ juventæ.
Dij, mirum, à iuvene hac poli ſenectâ
Antiqui Sophia eſt reducta ſæcli!

JANUS à CLIVIA PARISINUS.

AD LECTOREM.

En tibi Zincgrefij centena emblemata, Lector,
Nec tamen ipſius cernitur effigies:
Nempè poteſt unus centum hæc, Emblemata centum
Non poſſunt unum fingere Zincgrefium.

MATTHÆUS ROVVERUS
Gallo-Baudouillanus.

AD CHALCOGRAPHUM
PROSPHONEMA.

Iam, MERIANE, ſculptor
Primarie huius ævi,
Clari gener BRIANI,
Dicam tibi pararant
Novemſiles ſorores,
Emblemata ob morata
JULI ſui clientis.
Cùm derepente fama
Non falſa venit, illa
Iam ducta ad umbilicum
Tuâ arte, MERIANE.
Ergò perenniclaram
Divæ tibi corollam
Lauro ex perenniore
Nectunt; tibi & clienti
Suo: huic ut erudito
Vati: tibi ut perito
Sculptoriæ Magiſtro.

JANI LEONHARDI
Weidneri Palatini.

Ovid. lib. 1. Metamor.

PARTE TAMEN VIGILAT.

Voyéz moy ce Lion veillant en' sommeillant,
Les yeux demi-ouuerts, la queue menaçante.
Un Prince quand il dort la nature contente,
Mais tousiours pour les siens son penser est veillant.

DE LEONE, *ferarum atque animalium rege, dicere incipiamus*; cujus de vigilantiâ sic scribitur: *eum, cum dormit, caudam movere, ut ostendat nimirum, se non omninò dormire, & somno undiquaq; vinci, ut cætera animalia: quod ipsum Ægyptii se observasse gloriantur. Hunc spectans excutiat somnum Rex, sciatq; non posse fieri simul, ut otio indulgeatur, ac multis ut imperetur*, ait Libanius fine sententiæ quâ probat: Epiphan. in pr. pyliologi sui. Ælian. lib. 5. animal. c. 39.

Turpe Duci totam somno consumere noctem. Sil. Ital. lib. 5.

Ubi *non dicit, prorsus non dormiendum, sed non semper: ita somni portio conservat principem seu Ducem, pars vigiliarum principatum.* Sic imperator in strategō suo requirit: *modicè vivere, & de nocte consilium capere. De nocte enim coctius solet provenire consilium, quiescente mente à tumultibus externis.* Quod observasse videtur Hannibal, Liban. progym. Maurit. Imp. 8. strategic.

Vigil ille, nec ullam Sil. It. lib. 12.
Ad requiem facilis, credensq; abscedere vitæ
Quod sopor eripiat tempus.

Et Agesilaus Rex, *somno non domino, sed rebus agendis servienti utens.* Et Imperatoris quoque Diaconus huc respiciens, *Ceu gubernator*, inquit, *ita vigilet Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tutò æquitatis clavos, atque expellens fortiter impetuosos iniquitatis fluctus, ut ne cymba mundanæ Reipubl. illidatur eis. Magistratus profectò nocte in urbibus vigilantes, malis hominibus, tum hostibus, tum civibus terrori sunt, sibi & civitati utiles universæ.* Plut. apoph. Lacon. Agapet. parænet. ad Iustin. Imp. Plato. lib. 5. de leg.

II.

PRO GREGE.

Cè prudent garde-parcs ce chien plein de courage
Uray patron d'un vray Roy jamais jamais ne dort,
Ains ſe tient tousjours preſt pour combatre l'effort
De ſanguinaires Loups non moins vaillant que ſage.

NIHIL ALIUD *est imperium, nisi cura salutis alienæ. Vt enim tutela, sic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Rex namq; eligitur, non ut sui ipsius curam habeat: sed ut per ipsum, qui eum elegerunt, in felicitate degant.* Amm. Marc. lib. 29. Cic. lib. 1. off. Stob. Serm. 52.

Itaque *verus Princeps magnâ cum dignitate & bonitate præest, magnificæ bonorum muneræ subditis exhibet; victus abundantis, salutis omnimoda & vitæ tranquillitatis author est. Hunc enim sibi finem proponit, ut subditos felices efficiat. Et tum sanè præ cæteris, qui ab eo gubernantur, inprimis eximius est, quando illi beatam vitam agunt, qui seipsos ei commiserunt. Siquidem utilitas publica non separata est à privata, quin potius in universali singulis etiam utile continetur, & partes in toto servantur.* Id. Serm. 44.

Quare *illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes non tam supra se esse, quam pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidiè experiuntur.* Senec. lib. 1. Clem. cap. 3.

Nam in hoc principatus instituti sunt, ut salvi subditorum consulatur, ne invicem, aut ab exteris iniurias accipiant. Dio. Cass. li. 55.

Atque hic est principis metus, & humanus, nec ingenerosus, ut his, quibus imperat, metuat, ne quid se inscio lædantur, non aliter atque canes nocturnam ac laboriosam agentes ovium in septis custodiam simulatque trucem audierint feram, timent non sibi, sed his quæ custodiunt. Plut. lib. de doctr. princ.

Et hoc est, quod apud Platonem disputatur *generosi canis & nobilis Adolescentis naturam nihil differre ad custodiam agendam.* Lib. 2. de Rep.

III.

DUM SEDET INVADUNT.

Pendant que l'aigle dort en trop grand' aſſeurance
Mal aduisè ſe ſent tout à coup aſſaillir.
La ſeurté n'eſt iamais ſans lourdement faillir,
Et n'eſt ſerpent ſi vil qui du venin ne lance.

RELIQUAS *aves maximè sedentem aquilam adgredi* legitur, quod Aristot. restringit ad illam aquilarum speciem, quam *Percnopterum* nominant; *quippe quæ à corvo, cæterisque id genus alitibus verberetur, fugetur, capiatur.* Quo simili monemur, tunc inprimis hostium nos patere insidijs, cum desides occupat *frequentissimum initium calamitatis, securitas. Necessariò autem amplior securitas gravius solet habere discrimen, quoniam imparatis, cibum capientibus, in itinere lassis, equos suos pascentibus, ac nihil tale suspicantibus superventus assolent fieri,* præsertim verò

Xenoph. lib. 6. ἀναβ. Lib. 9. hist. anim. cap. 32. Vell. Patere l. 2. Veget. l. 3. c. 22.

Sæpè soporatos invadere profuit hosti,
Cadere & armatâ vulgus inerme manu

Ovid. l. 1. Amor.

Ideoque tam pace quam Bello

Caret periculo qui etiam cum tutus est cavet, Publ. Syrus.

Sicut enim *providos cautela tutatur, ita negligentes extinguit incuria* quandoquidem Veget. l. 4. c. 38.

Serum est cavendi tempus in mediis malis Senec. in Thye.

Et reverà nemini non dictum hoc putemus, quod Menecli- di apud Æmil. Probum Epaminondas, *Fallis*, infit, *verbo cives tuos, quod hos à bello avocas, otii enim nomine servitutem concilias, nam paritur pax bello: itaque qui eâ diutinâ volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis utendum, non Palæstrâ. Ergò qui desiderat pacem, præparet bellum, qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter. Nemo enim bello lacessere aut facere audet iniuriam ei regno, vel populo, quem expeditum & promptum ad resistendum vindicandumque cognoscit.* Veget. prol. l. 3. Id. lib. 4. c. 31.

IV

Claudian. lib. 2. in Eutrop.

ASSUESCO FUTURÆ MILITIÆ.

C'eſt ainſi qu'a loiſir au fait des rudes armes
Lon va me diſpoſant par maniere d' esbat.
Il faut en temps de paix ſe dreſſer au combat,
Pour n'auoir parapres peur d'aucunes alarmes.

Primus equi labor est animos atq; arma videre Virg. 3. Georg.
Bellantum, lituosq; pati, tractuq; gementem
Ferre rotam, cecinit Vates de equis ad bellum instituendis. Ita *ne ad armorum fremitum & gladiorum ad clypeos resonantium in pugnâ crepitum equi extimescerent, eos ad strepitum assuescere cogebant Persæ, armatasq; cadaverum simulacra paleis farta eis subiiciebant, ut cœsorum calcationem in bello ferre consuescerent.* Nos hodiernam nostrorum Equitum methodum hac picturâ exhibemus. *Quod autem disciplina hæc est utilissima, id intelligere potest quivis, ex iis, quæ scribit Plato in libris de Legibus: nam ait Cretensium Legumlatorem leges sanxisse, tanquam si semper parati essent homines ad bellum gerendum. Esse enim naturale quoddam bellum inter omnes civitates occultum, etiamsi non indicitur per Fœciales & præcones. Sive ergo Legio sive auxilia fuerint, exercentur assiduè. Nam quemadmodum benè exercitatus miles prœlium cupit, ita formidat indoctus. Postremò sciendum est in pugnâ usum amplius prodesse, quam vires, nam si doctrina cesset armorum, nihil Paganus distat à milite.* Quid aliud Romanos *principes fecit,* quam *severitas institutorum, ordo militiæ, amor quidem laboris, & quotidianâ exercitatione assidua belli meditatio?* Nempe primús *hunc* Romulus *rex sapientissimus statum Reip. imposuerat, ut iuventus divisa per tribus in equis & in armis ad subita bella excubaret.* Faciunt huc Philosophi verba: *In ipsâ securitate animus ad difficilia se præparet, & contrà iniurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace decurrit sine ullo hoste, vallum iacit & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Quem in ipsâ re trepidare nolueris, ante rem exerce. Nam quæ ex usu sunt, non timentur;* quin potius illis animamur. *Sic enim militaris viri in mediâ pace togati iam auros tuba suscitat, equosq; Castrenses erigit crepitus armorum.* Habent hæc suum etiam usum, si ad Ethicam Disquisitionem deveniatur: cum enim *militia quædam sit cuiusq; vita, eaque longa & uaria, ideò sapiens assuescit futuris malis, & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando,* nam *quia omnia novitate graviora sunt, hæc cogitatio præstat, ut nulli sit malo tyro.*

Ælian. lib. 16. de anim. c. 25.

Id. c. 1. de mil. ord. inst.

Veget. lib. 3. c. 23.

Quin. decl. 3.

Florus 1. c. 1.

Senec. Ep. 18.

Veget. l. 3. c. 12.

Senec. 2. de irâ. 2.

Arrian lib. 3. in Epict. c. 24.

Senec. Ep. 76.

Id. Ep. 107.

V.

SESE TERRORE TUETUR.

C'eſt mon regard tout plein de terreur redoutable
Qui fait mon ennemi ſe retirer de moy',
Mais quand ſe rapprochant il me met en esmoy
L'outrecuidance alors par mon ire i'accable.

Leonis generositas in periculis maximè deprehenditur, eo quod spernens tela, se diu terrore solo tuetur, ac velut cogi testatur; cooriturq; non tanquam periculo coactus sed tanquàm amentiæ iratus. Notet Dux aliquis, & simul illud: *terrore melius esse hostem domare, quam prælio; in quo amplius solet fortuna potestatis habere, quam virtus, qui quidem terror* multis *plus penè veris viribus profuit*: tibi certè, Hecdici, qui *vix duodeviginti equitum sodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum, non minus die quam campo medio, transistis; dum ad nominis tui rumorem, personaq; conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit. ita ut præ admiratione nescirent Duces partis inimicæ, quam se multi quamq; te pauci comitarentur.* Sed & tibi Trajane Imp. *cum ferociam superbiamq; Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes, Rhenumq; & Euphratem admirationis tuæ famâ coniungeres. Quoties nomen Alexandri M. & fama, maximum in bello utiq; momentum,* hostes *in fugam convertit*? Sanè præfectos Darii *non tam armis, quam terrore nominis sui vicit; quod est pulcerrimum victoriæ genus.* Sic etiam Germani olim *ipsa plerumq; famâ bella profligarunt,*

Plin. l. 8. Nat. c. 16.
Veget. l. 3. c. 26.
Liv. l. 7. c. 14.
Sidon. li 3. Ep. 3.
Plin. paneg.
Curt lib. 5.
Iustin. l 11.
Plin. l. 2. Ep. 7.
Tacit. c. 13. Ger.

Proq; omnibus armis,
Et castrorum opibus, dextriq; recentibus, unum
Hannibalis sat nomen erat:

Sil. Ital. l. 16. pr.

Ergo videmus, terrore & famâ bella stare; quidni & pacem? unde sapienter ille Dictator Populi Rom. *non Veios tantum, nec hoc bellum intueri* iubet, *quod instat, sed famam & ad alia bella, & ad cæteros populos inposterum quærere.* Quæritur autem illa 1. ante bellum, si *discat miles in otio, quod proficere possit in negotio. Nihil enim neq; firmius neq; fœlicius est rep. in quâ abundant milites eruditi; non enim vestium nitor, vel auri, argenti, gemmarumq; copiæ, hostes aut ad reverentiam nostram, aut ad gratiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum.* 2. in ipso belli principio: tunc enim vel maximè *instandum famæ, ac* putandum, *prout prima cessissent, fore universa.* Sic Cæcinna omnia *consilia curasq; in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: quarus ut initia belli provenissent, famam in cætera fore.*

Curt. lib. 3.
Liv. lib. 5. c. 6.
Cass. l. 1. Var. Ep. 40.
Veget. l. 1. c. 13.
Taci. Agric. c. 18.
Id. l. 2. Hist. c. 20.

Claud. 4 conſ. Honor.

CEDENTIBUS ATROX.

Le fleuve cache-ſource à la terre Egiptienne
Ce grand monſtre produit, fuyant les pourſuivans,
Et ſuivant les fuyans: croyez de tous vivans
La nature eſtre telle, or d' autant moins Chreſtienne.

Hoc naturâ comparatum est, ut homo quidem eum contemnat, à quo colitur, eum verò admiretur, qui ipsi non cedit, adeò ut rectè censuerit Hermocrates, *non eos qui imperiũ affectant, sed eos qui ad imperata faciendũ sunt propensiores, vituperandos esse:* addens porrò: *Homines ita natos, ut semper illos quidẽ imperio premant, qui cedunt ipsis, ab illis verò sibi caveant, qui arma ipsis inferunt,* haud aliter quam Nilotica *monstra,* quæ *fugientes insequuntur, formidant resistẽtes.* Non ignoravit hoc Alex. M. *timentibus n. Macedonibus nec vim censentibus afferendam Græcis, deficientes autem Barbaros leniter ad officium revocandos, fontiq; medendum novationum; ipse ex diversis consiliis adortus est, audaciâ & animi magnitudine rebus suis securitatem & salutem quærere, existimans, si paulum modò animum demisisset, cunctos se superfusuros ipsi.* Quare *hostibus subinde aliquid movere non concedendũ, hoc enim pacto fiet, ne quis nos imposterum sibi iniuriâ lacessendos putet,* ait Julius Cæs. *quibus si concesseritis,* (ex ore Periclis annecto) *quod petunt, protinus etiam aliquid aliud maius imperabitur, quasi metu perculsi hac quoque in re morem ipsis gesturi sitis, sed si semel ipsis acriter abnueritis, quæ petunt, plannm facietis, oportere ipsos maiore cum æquabilitate vobiscum agere.* Et hoc erat, quod conquerebantur veteres Britanni: *Nihil profici patientiâ, nisi ut graviora, tanquam ex facili tolerantibus, imperentur.* Rem suo more exequitur Philosophus Romanus: *Quemadmodum,* inquit, *pernicios ior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti, & aversо.* & paulò post: *In ipsis positus difficultatibus, toto contrà pugnet animo, vincetur si cesserit, vincet si se contrà dolorem suum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt; attrahunt in se ruinam, cui obstandum est: istud quod premit, quod impendet, quod urget, si subducere te ceperis, sequetur & gravius incumbet: si contrà steteris, & obvius volueris repelletur.* Plutarchus ea ipsa ad invidiæ naturam ac indolem refert, libr. num seni gerenda respubl. quæ quoniam hæc charta excludit, quo minus huc subdantur, ipse Lector apud ipsum requiret.

Thucyd. lib. 3.

Idem lib. 4.

Solin. c. 35.

Plutar. in Alexand. Mag.

Dio Cass. lib. 38.

Thucyd. lib. 1.

Tacit. Agr. c. 15.

Senec. Ep. 77.

VII.

AGITAS AGITARIS AT IPSE.

Ainſi l'un preſſe l'autre & luy meſme eſt preſsé
De ſes ardens deſirs & de ſa convoitiſe,
Louablement fait cil qui le trophée prise
Qu'un vray victorieux de ſoy meſme a dreſsé.

Vt canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo Ovid.lib.1.meta.
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem.
Alter inhæsuro similis, jam jamq; tenere
Sperat, & extento stringit vestigia rostro;
Alter in ambiguo est, an sit comprensus, & ipsis
Morsibus eripitur, tangentiaq; ora relinquit:
Sic Deus & virgo est, hic spe celer, illa timore. Hanc imaginem amantibus attemperat poëta. Nos eam altius trahemus, & ad id nimirum, quod ait ille, *sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominari.* Sidon.l.2.Ep.13. Quod de ijs potissimè dictum mihi videtur, quos tangens peßimi Imperatoris optimus præceptor, *multi sunt* inquit, *qui ante se agant agmina, & tergis hostium graves instent, & ad mare magnum perfusi cade gentium veniant, sed hi quoq; ut vincerent hostem,* Senec. Ep. 94. *cupiditate victi sunt, nemo illis venientibus restitit, sed nec ipsi ambitioni crudelitatiq; restiterant. Tunc cum agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infœlicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat. Nec Cn. quidem Pompeio externa inire bella aut domestica virtus aut ratio suadebat: sed insanus amore magnitudinis falsæ, modo in Hispaniam & Sertoriana arma, modò ad cogendos Piratas ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur causæ ad continuandam potentiam. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? gloria & ambitio & nullus suprà cæteros eminendi modus. Quid tu C. Marium cum Teutonicos Cimbrosq; concideret, cum Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse virtutis instinctu? Marius exercitum Marium ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur, & ob hæc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui frenum est. Ideoq; cum multis fuerunt mali, pestiferam illam vim, quâ plerisq; nocuerunt, ipsi quoq; sentiunt.*

VIII.

CITIUS CAPIAR QUAM TENEAR.

Cette anguille qu'icy ſe coule
Se conqueſte aſſez aiſement,
Plus aiſement elle s'eſcoule,
C'eſt ainſi du gouvernement.

DE anguillâ scribit Isidorus, *adeo lævem esse, ut quanto fortius presseris, tanto citius elabatur.* Adeò videlicet *difficilius est provincias obtinere quam facere*, contrà *facilius, quædam vincere quam tueri*; siquidem, quod poëta dixit, Florus li. 4 c. 12. Curtius lib. 4.

Casus inest illic hic erit artis opus. Sed & *in acquirendo ignavia possidentis sæpe plus confert, quam propria virtus. Tueri autem quæsita sine propriâ virtute nemo potest*: neque perperam *dixerit aliquis*; *assumere potentatum, & tanquam in humeros tollere opes & imperia, etiam mulieris fuerit & pueri fortasse: siquidem Oarsa & Dario Bagoas Eunuchus Persarum regnum humeris sublatum imposuit: at magnum jam assumptum imperium velut contento corpore ferre, versareq; sine magno negocio, nec oneri succumbentem confundi, contorquerique pondere, moleq; rerum, viri est profectò virtute, solertiâ, & celso animo præditi*, quales non usquequaque fuere Romani, quippe quibus suâ ipsorum confessione Germania *magis turpiter amissa est, quam gloriosè acquisita*, quandoquidem *maius decus est parta amittere, quam omninò non paravisse*, ac *turpissimum semper habitum, quod quis accepisset, tueri & conservare non posse*. Hinc illa Demetrii nota, quod *imperium Sicilia tàm citò amiserit, quam facilè quæsierat*, & Pyrrhi, qui *ut ad devincenda regna invictus habebatur, ita devictis acquisitisq; celeriter carebat*, nempè *viribus parantur, iure retinentur*, & alioqui constat etiam, *eos optimè retinere dominia, qui in iisdem institutis perseverant, quibus ea initiò sunt adepti. At verò illud clarum testatumque exemplis est, quod homines fœlicitatem assequantur benignitate in alios, & bonâ de se opinione, iidem cum adepti quæ voluerant ad iniurias & impotentiam in imperiis delabuntur, fit meritissimo, ut unà cum imperantium mutatione ipsi subditi se & affectûs mutent.* Ovid. lib. 2. de arte. Torilas apud Zonaram. Plutar. orat. 2. de fort. Alex. Flor. d. c. 12. Sallust. Iug. Cic. or. pro. L. Manil. Iustin. lib. 23. Id. lib. 25. Flor. d. c. 12. Polyb. lib. 10.

IX.

PROMPTIUS EXTRAHITUR . . QUAM IMMITTITUR.

La guerre non que trop aiſement ſe commance,
Le glaiue eſt d'un chacun desgainé ſans labeur
Mais à l'y bien remettre y a de la longueur
Bien finir celle-là c'eſt là que giſt la chance.

NOn est, mihi credite, non est (inquit Fabius) Sil. It. l. 5.
Arduus in pugnas ferri labor, una recluſis
Omnes iam portis in campum effuderit hora.
Magnum illud, ſoliq; datum, quos mitis euntes
Iupiter adſpexit, magnum est ex hoſte reverti.

Sicut enim juxtà veterem Trochaicum:

Promptius gladium vaginâ extraxeris, quam immiſeris;

ita conſtat, *omne bellum ſumi facilè, cæterum agerrimè deſinere, nec in* Salluſt. Iugur.
eiusdem poteſtate initium eius & finem esse: incipere cuivis etiam ignavo licere, non deponi niſi cum victores velint. Itaque ceu rari exempli Seneca de Syllâ: *Etiam inimici fatebuntur, benè illum arma ſumſiſſe, benè poſuiſſe.* c. 12. ad Marciâ. Sueton. Auguſt. c. 25.
Ex quibus apparet, *nihil minus in perfecto duce quam feſtinationem temeritatemq; convenire:* cum quod *melior tutiorq; eſt certa pax, quam ſperata victoria, hæc enim in tua, illa in Deorum manu eſt:* tum quod *non licet in bello, bis delinquere*, quod ajebat Lamachus ad quendam manipuli præfectum, dicentem, *ſe nunquam poſt hac ſimiliter peccaturum*; denique, quia compertum eſt, *homines non eodem animi ardore bella adminiſtrare, quo ad ea ſuſcipienda inducuntur. Atq; audaces ſanè præproperi ſunt, ac præcipites, periculumq; antequam in periculo verſentur, adire volunt, in ipſo autem periculo ſunt tardiores, & à ſententiâ deſiſtunt. At vir ita demum fuerit optimus, ſi in deliberando quidem omnem rem, quamcunq; pati poſſet reputans, extimeſcit, in re autem agendâ, eſt audax. Ideò omnia ante cogitanda ſunt, ante tendanda, ante facienda, quam ad ultimum veniatur abruptum*, &c Liv. l. 30. c. 30. Stob. ſerm. 52. Thucyd. lib. 1. Ariſt. l. 3. Eth. c. 10. Stob. d. ſ. 52. Veget. lib. 3. c. 9.

Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet. Ter. Eun. 4. ſc. 7.

X.

MAGNO FUROR EST IN SANGUINE MERGI.

Je ne profane point ma genereuſe rage
Encontre des brebis ou bien des foibles veaux,
M'attaquant hardiment non qu'à des grãds taureaux,
Ceuxcy ſont ennemis dignes de mon courage.

PUlor est, *congredi cum homine vinci parato. Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi: & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur.* Hinc illa indignatio Ajacis: Senec. c. 3. de provid.

Et mecum confertur Vlysses! Ovid lib. 13. metam.

Hinc & Herculis querela furentis:

Hanc ferat virtus notam Senec. Herc. fur.
Fiatq; summus hostis Alcida Lycus.

Et altera illa Cæsaris ad milites suos contrà Antonium ducendos: *Me quidem pudet* inquit *cum huiusmodi hominibus nobis esse confligendum, quos si vicerimus, gloriæ id futurum nobis non sit, dedecori autem si vincamur* quibus rectè subjungentur Acciani versus: Macrob. l. 6. c. 1.

Nam Tropheum ferre me à forti viro pulcrum est, Si autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum. Quæ fuit etiam indoles Alexandri M. adhuc pueri: *cum enim tentarent eum ministri, quia pernix erat pedibus,* Plut. Alex. M. *an olympiis certare curriculo vellet: sanè si habiturus sim,* inquit, *adversarios reges.* quanquam is ipse major factus, à Cratero sequentia fuit audire coactus: *obscura bella & ignobiles pugnas nobis deposcimus. Temetipsum ad ea serva, quæ magnitudinem tuam capiunt: citò gloria obsolescit in sordidis hostibus, nec quidquam indignius est, quam consumi eam, ubi non potest ostendi.* Princeps itaque ante oculos habeat illa Stiliconis ad generum: Curt. lib. 9.

Adversine tubam Princeps dignabere Mauri? Claud. de bello Gild.
Auferat ignavus clari solatia leti.
Te bellante mori? decurret Honorius inde,
Hinc Gildo? prius astra chaos miscebit Averno,
Vindictam mandasse sat est: plus nominis horror
Quam tuus ensis aget: minuit præsentia famam,
Qui stetit æquatur campo: collataq; nescit
Majestatem acies. adeoque imitetur leonem qui
forte potitus
Cædibus, imbelles vitulos, mollesq; juvencas
Transmittit, magno furor est in sanguine mergi, Statius lib. 8. Theb.
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.

XI.

HOC DUCE.

Cheminons hardiment quand le ciel nous eſclaire,
Et ſuiuons pas à pas ce ſage conducteur,
Ne perdons au beſoin ni l'eſpoir ni le cœur,
Dieu preſent & faiſant toute choſe proſpere.

Cum diis movere haſtam (inquit Euripides) *ſapientes duces oportet, non autem præter illorum voluntatem.* Etenim *quæ res numine propitio ſuſcipiuntur, eas ſemper Reipubl. melius feliciusq; ceſſuras conſentaneum eſt.* Contrà verò *nihil ritè nihilq; providenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicantur.* Nec unquam fefellit ſacrum illud effatum: *Nulla eſt ſapientia, nullaq; intelligentia & nullum conſilium contrà Iehovam. Equi parantur ad pugnam, ſed Iehova tribuit victoriam,*

Hoc duce victrici decorati tempora lauro

Pedibus prememus hoſtis arrogantiam

S. Ob ſerm. 52

Xenoph. de proventib. in fi.

Plin in paneg.

Prov. c. 21. v. 30.

Pſal. 107. fi.

Agnovit hoc etiam Ethnicus ad duces ſuos inquiens: *Scitis non multitudinem eſſe, non robur quod victoriam in bellis parit, ſed eos, qui diis adiuvantibus firmioribus animis hoſtes adoriuntur, plerunq; illi non ſuſtinent*: & Civilis Germanos ſuos *Deorum numine capeſſerent pugnam* hortatus, quod exemplum, licet ab horridâ barbarie minimè barbarum, libentius in medium affero; *exiſtimans patriis exemplis magis moveri cives. Recurrere* itaque *ad ſupernum auxilium cum homo quivis debet, ſalutem qui expetat, tum ante omnes Imperator, utpote qui pro omnibus ſolicitus eſt, cum enim à Deo cuſtodiatur, tam hoſtes generoſa manu debellat, quam ſuos ſedulò communit.* Id quod is ipſe Imperator, ad quem hæc parænesis ſcripta, ſedulò fecit, ut de ſe ipſe teſtatus: *ita noſtros*, inquit, *animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium: ut neq; armis confidamus, neque noſtris militibus, neq; bellorum Ducibus, vel noſtro ingenio: ſed omnem ſpem ad ſolam referamus ſummæ providentiam Trinitatis.*

Xenophon. ἀνάβ. γ.

Tacit. 1. Hiſt. c. 17.

Lycurg. in or. contrà Leocrat.

Agap. parænes. ad Iuſtin. Imp.

Iuſtinian. Imp. in pr. de concep. ff. ad Tribonian.

XII.

Stat. lib. 6. Theb.

PARAT SESE ACCENDERE VIRTUS.

Un vaillant guerroyeur n'attend nulle contrainɛte
Car ſon cœur de dedans l'encourage à l'exploit,
Tout ainſi qu'un Lion de ſa queue reçoit
Maint coup, pour au cõbat ne dõner laſche atteinte.

HOmines ut boni ac fortes viri sint, hortatione egent, & suasionis oratione plenâ: quæ & metum tollat, & addat animos. Athletæ quidem ad studia hortandi sunt, milites ad arma. Robore non item extrinsecus assumto bestiæ egent: at ex sese potius vires incitant, & semet confirmant. Leo ne quid ignavè faciat, flagellans semetipsum caudâ excitat, quod Homerus etiam non ignoravit, & in genere cauda Leonis apud Græcos ἀλκὴ & poëticè ἀλκαίη dicitur ab istâ stimulatrice Virtute ἀπὸ τῆ ἀλκὴν αὐτῷ ποιεῖν. Si quis enim invasurus accedat, illi se opponit, caudam vibrans, & per latera contorquens, seipsum incitat: quod sic Plinius: In principio terra verberatur: incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur. Adeò voluntarium quiddam & ultroneum est vera virtus, & hortamina fortes præveniunt semper. Ælian lib. 6. anim. c. 1. Id. lib. 5. c. 39. lib. 8. Nat. c. 16. Stat. 4. Theb.

O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi
Rex imperavit, institit virtus mihi
Iunone peior, exclamat Hercules. Senec. Here. Oeteo.

Hinc Marius, Plura dicerem, inquit, Quirites, si timidis virtutem verba adderent, nam strenuis abunde dictum puto: Licet apud Poëtam timidis etiam sed brevis addita virtus legatur. Similia sunt illa Catilinæ: Compertum ego habeo, inquit, verba virtutem non addere, neq; ex ignavo strenuum, neq; fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri: quanta cuiusq; animo audacia naturâ aut moribus inest, tanta in bello patere solet; quem neq; gloria neque pericula excitant, nec quidquam hortére, timor animi auribus officit. Ethicus suo modo rem tractans: Boni viri inquit laborant, impendunt, impenduntur, & volentes quidem, non trahuntur à fortunâ, sequuntur illam & æquant gradus, si scissent anteceßissent. Omnem ferè Leonis naturam à nobis tribus anterioribus Emblematis adpictam his versibus Poëta comprehendit, quibus Fridericum I. Imp. comparat Leoni: Salluſt. lug. Stat. d. l. 4. Salluſt. Cat. Senec. c. 5. de provid. Gunther. l. 2.

Vt Leo qui dudum placido mansueverat usu
Si quis cum iaculis vel nudo cominus ense
Præditus irritet generosi pectoris iram
Dißimulat, reprimitq; diu, spernitq; minori
Tingere cæde genas & vili sanguine pasci.
Ac si perstiterit damnatus & improbus hostis,
Addideritq; minas, tunc se stimulante flagello
Incitat ac misero violento pectoris ictu
Involat & lateros frangit crudeliter artus.
Sic suppressa diu generosi principis ira
Exarsit rapuitq; novum mens alta furorem.

XIII.

COMMINUS ACCEDET.

Laſches armes adieu; l'eſpée eſt des gendarmes,
Ce courageux Lacon ceſte mouche portant
Et d'un fer raccourci les plus eſpais fendant,
Monſtre, qu'un coëur hardi demande courtes armes.

Lacon *in scuto habens insigne, muscam, verâ non maiorem, cum quidam irridentes dixissent, illud esse factum, ut lateret: imò verò*, inquit, *ut sim manifestus, ita namq; ad hostes accedo, ut hoc insigne, quantum est, ab ipsis videatur.* Antalcidas civis eius quæsitus, *cur brevibus Spartiatæ pugionibus in bello uterentur: quia cum hostibus*, inquit, *comminus dimicamus.* Similiter Rex *Agis, cum Athenienses quidam Laconicorum gladiorum brevitatem derideret, diceretque, circulatores facilè eos in theatris hausturos: atqui*, inquit, *hisce nos gladiolis benè attingimus hostes.* Romani quoque suos docebant, *hostem comminus percutere.* Hinc militum illud in pugnâ Cannensi cadentium Encomium apud poetam: Plutar. apopht. Lacon. Ibid. Idem in Lycurg. Senec. Ep 36.

Nec magis aut Lybico protrudi Dardana nisu,
Avertive potest pubes, aut ordine pelli
Fixa suo Sarrana manus, quam vellere sede
Si tentet Calpen impacto gurgite Pontus.
Æmisere ictus spatium, nec morte peractâ
Arctatis tecidisse licet, galea horrida flictu
Adversa arduerit galeæ, clypeumq; fatiscit
Impulsu clypei, atq; ensis contunditur ense,
Pes pede, virq; viro teritur. Sil. Ital. l. 9.

Et contrà elevatio Parthorum justissima Lentulo attributa apud Lucanum:

Pugna levis, bellumq; fugax, turmæq; vagantes
Et melior cessisse loco quam pellere miles
Illita tela dolis nec Martem cominus unquam
Ausa pati virtus: sed longè tendere nervos
Et quò ferre velint permittere vulnera ventis.
Ensis habet vires; & gens quacunq; virorum est,
Bella gerit gladiis: nam Medos prælia prima
Exarmant, vacuæq; iubent remeare pharetræ,
Nulla manus illis, fiducia tota veneni est. lib. 8. pharsal.

XIV.

ASTU HAUD FORMIDINE.

Ce n'eſt pas de frayeur que l' ours deuant ces cornes
Se renuerſe en cedant, car toſt l'euenement
Demonſtre, qu'il ne fait que par trop ſagement
Pour mettre ainſi vaincueur â leur effort des bornes.

PUrabat Darius, *eum, qui recedat, fugere credi. At verò aliquoties astu magis, quam per formidinem ceditur:* ut hostem Curt. lib. 3. Tacit. 1. an. 56.

Præcipitare sequentem Sil. Ital. l. 7.

Atq; inopinatâ detur circundare fraude,

Et parvo maiora ad prœlia damno Elicere. Sic Ursus, tantum aggressus *consertâ iam pugnâ, sternit se resupinum, dumq; taurus ferire conatur; ipse suis brachiis amplectitur cornua, ore morsum armis desigit, prosternitq; adversarium.* Et ita *cedere loco, dummodo rursus instes,* Arist. l. 8. histor. anim. c. 5. Tacit. c. 6. Germ. *consilii quam formidinis arbitrabantur Germani.* Ita Parthorum *gens, præter armorum fiduciam, simulabat trepidationem, & in campos fugam. Antonius statim quasi victor sequebatur, cum subitò nec magna hostium manus ex improviso & iam infessos viâ, sicb vesperâ, velut nimbus erupit, & missis undiq; sagittis duas legiones operuerunt.* Ita Pœni quoque Curioni Flor. lib. 4. c. 10.

Fraude suâ cessere parum, dum colle relicto Lucan. lib. 4.

Effusam patulis aciem committeret arvis,

Ille fugam credens, simulatæ nescius artis,

Vt victor medios aciem proiecit in agros:

Tunc primum patuêre doli. Hannibali usitatissimum *retroq; abitum fictosq; timores* assimulare, unde monitio Fabii ad Minutium, cuius tamen hic statim oblitus suo malo: Sil. Ital. lib. 7.

Iam cernes Lybicum huic vallo assultare Leonem Ibid.

Iam prædas offerre tibi, iam vertere terga,

Respectantem adeò, atq; iras cum fraude coquentem,

Claude oro castra, & cunctas spes eripe pugnæ. Usi etiam hoc stratagemate privati: sic enim fratribus *duobus occisis, qui superarat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosq;, prout sequi poterant, adortus exuperat.* Idem fecit *Critolaus Tegeates.* In his talibus optimum fuerit, uti cautione Metelli; *qui callidissimè hostem, nunc precibus, nunc minis, iam simulatâ quasi verâ fugâ eludentem, artibus suis aggressus est,* Item Celsi, cum enim à Cæcinnâ *equites procedere longius iussi, & irritato prœlio, sponte refugi, festinationem sequentium elicere, donec insidiæ coorirentur; Celsus dolo prudens, repressit suos,* ibi tum *Vitelliani temerè exsurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti, ultrò in insidias præcipitantur.* Flor. lib. 3. c. 3. Stob. serm. 37. Flor. lib. 3. c. 1. Tacit. 2. Hist. 24. & 25.

XV.

Sil. Ital. lib. 15.

VIRTUTI PLACUIT DOLUS.

Vne masle vertu quelquesfois au beſoin
Pour compagne prendra une ruſe guerriere
Perfide laſcheté chaſſant loin en arriere
Car le vice & vertu pair à pair ne vont point.

Dolus an virtus quis in hoste requirat? imò requiritur à nonnullis, Alexander, suadentibus, *hostem ut nocte adoriatur*, respondit: *Non furor victoriam.* Etiam Darius *nihil astu agere, affirmans suis, occulta consilia victoria furtivæ convenire.* Divico ad Cæsarem: Helvetios, inquit, *ita à patrib. maioribusq; suis didicisse, ut magis virtute, quam dolo, contenderent, aut insidiis niterentur.* Idem ferè responsum Adgandestrio: *non fraude, neq; occultis, sed palam, & armatum populum Rom. hostes suos ulcisci*: sanè ad oppugnandam Hierosolymam verso, *neq; dignũ videbatur famem hostium operiri.* At quidem eidem populo *non scalis, nec irrupto-ne, sed cuniculo & subterraneis dolis peractum urbis Veientium excidium*, & ut perhibet Corvinus:

Bellandum est astu, levior laus in duce dextræ. Unde *Calidum Hannibalem ex Pœnorum, ex Romanorum Ducibus Q. Maximum acce-pimus; facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, præcipere hostium consilia. In quo genere Græci Themistoclem Athenienſem, & Phæreum Iasonem cæteris anteponunt. Illa verò calliditas egregia*, judicio judicioſiſſimi ſcriptoris, *& ab omni prorsus reprehensione procul remota*; *cuius opera stratagemata* vocant. Distinguendum igitur inter *dolum malum* proditione & perfidiâ innixum, & illum quem *pulcrum* Guntherus noſter, *veteres bonum dicebant, pro solertiâ hoc nomen accipientes, maximè si adversus hostem latronemve quis machinetur.* Istum alterum autem quivis generosior populus, Romanus inprimis execrabatur, *ita ut ne hostis quidem, & potentis, & bellum ultrò inferentis, cum scelere interitum approbaret. Eam namq; sciebat veram esse victoriam, quæ salvâ fide & integrâ dignitate pararetur.* Hanc violavit Servilius Cœpio, *quippe qui conficienda rei cupidus, fractum ducem Viriathum, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & insidias, & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse.* Eadem detestatione perstringuntur M. Aquilius & Metellus, quorũ hic, *quoniam armis bellum parum procedebat, insidias Iugurthæ per amicos tendere, & eorum perfidiâ pro armis uti* parabat: alter verò *Asiatici belli reliquias confecit, mixtis, nefas, veneno fontibus, ad deditionem quarundam urbium, quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe cum contrà fas Deũm, moresq; maiorum, medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violasset.*

Virg. 1. Æneid. Plut. in Alex. Iustin. lib. 11. Cæſ. l. 1. bell gall. Tac. 2. ann. c. ult. Id. 5. Hiſt. 11. Flor. l. 1. c. 12. Sil. Ital. lib. 5. Cic. l. 1. offic. Val Max. lib. 7. c. 4. lib 2. Ligurini. l. 1. § 3. ff. de dolo malo. Cic. 1. off. Flor. lib. 1. c. 12. d. l. 1. c. 17. Salluſt. Iug. Flor. li. 2. c 20.

XVI.

IRE SUPER SATIS EST.

Rois à qui lá vertu doit eſtre pour parure
Voſtre ennemi vaincu humble à vous ſe rendant
En grace recevez, le rebel puniſſant;
Du iuſticier Lion imitans la nature.

Leoni tantum ex feris clementia in supplices (imò etiam Elephanti Senec. lib. 1. clem. c. 5.) prostratis parcit: & ubi sævit, in viros prius, quam in fœminas fremit, in infantes non nisi magnâ fame: quæ ijsdem ferè verbis recensetur Polybistor & sequuntur poëtæ: Plin. l. 8. nat. c. 16. Solin. c. 30.

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est. Ovid. 3 trist. El 5.

Illi verò, si decidit hostis,
Ire super satis est, vitamq; relinquere victo. Quo monentur celsæ potestates, esse pulcerrimum, stantes adhuc hostes armis vincere, ubi autem ceciderint, beneficiis. Stat. l. 8. Theb. Neliod l. 9. Æth.

Nam cum vincamur in omni
Munere, sola Leos æquat clementia nobis. Claud. in 4. cōs. Honorii.

Sic Alexander M. expugnatis Athenienſibus, *sive ira eius fuerit iam exatiata, ut Leonis, sive clementiæ exemplum tristissimo voluerit iungere, non modò omni culpâ liberavit eos, sed & civitatem hortatus est, susciperet rerum curam, quod ad ipsam devolvendum imperium esset Gratiæ, si quid sibi accidisset humanitus.* Honorius quoque *paci non intulit iram,* Plutar. Alex. Claud. Ibid.

Post acies odiis idem qui terminus armis:
Profuit hoc vincente capi. Et obſervavit hoc generatim, qui *nunquam hostibus domitis victoriam suam exprobravit*, victor ille populus, cum Scipione ſuo *tum demum victoriam, & apud Deos, & apud homines, minimum invidiæ habituram credens, cum plurimum humanitatis habuisset*: & idcirco legimus, illum *plus penè parcendo victis, quam vincendo imperium auxisse*, quod etiam uſuvenit Lacedæmonijs, qui *fusos hostes hactenus consectabantur; dum fugâ eorū confirmassent victoriam, mox receptui canebāt: contrucidare fractos, & manus dantes neq; generosum rati, neq; Græcis dignum.* Eratq; *id non præclarum modo, sed conducibile quoque: namq; certi, qui manus cum iis conserebāt, occidere eos, si qui subsistere̅t, terga vertentibus parcere: fugā capessere, quam in acie manere, ducebant cōmodius.* Itaq; cum rege Theoderico vobis proponite reges: *Deo iurante sic vincere, ut subiecti se doleant, vestrum dominium tardius acquisisse.* Notandum tamen hic aliquando plus ſævitiâ quam bonitate, præſertim ergà pervicaciores, profici. Unde *Cæsar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neq; vereretur, ne quid crudelitate naturæ videretur asperius feciſſe, neq; exitum consiliorum suorum animadverteret, si tali ratione diversis in locis plures rebellare cepissent, exemplo supplicii deterrendos reliquos existimavit.* Flor. l. 3. c. 2. Val. Max. l. 5. c. 1. Liv. lib. 30. c. 42. Plutar. Lycurgg. Cassiod lib. 5. Var. Ep. 43. Hirc. lib. 8. belli gallici.

XVII.

SIC TANDEM PRODITUR.

Comme d'une foreſt les arbres mis par terre
A ce rauiſſant glout tout refuge eſt oſté
Ainſi ton ennemi iamais mieux n'eſt dompté
Que lors que tu luy fais en ſon pays la guerre.

Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem, & cum de alio consuleretur, pronunciabat, quippe *civitatem antiquitus inimicam, & exacerbatam, de quâ non ante vereri desinam*, profitetur ipse, *quam illam excisam esse cognovero*: nempè videbat, *nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi sylva, in quam refugere solerent, esset excisa*, adeoque *divinâ suâ mente prospexerat, ita demum hostes funditus posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur*, Nec aliter *illa quondam Romana potentia diu æmula & inimica, à Publio Scipione devicta est, quam postquam is traiecto in Africam exercitu, Hannibalem ab Italiæ vastatione revocavit*. Sic Corbulo, parans exscindere Barbarorum castella, *hortabatur milites, ut hostem vagum, neq; paci aut prælio paratum, sed perfidiam & ignaviam fugâ confidentem, exuerent sedibus*. Quod & antè factitatum à Populo Rom. contrà Samnitas, sexies fœdera rumpentes: *Hos enim quinquaginta annis per Fabios & Papirios Patres, eorumq; liberos, ita subegit ac domuit, ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facilè appareat materia quatuor & viginti triumphorum*: item contrà de sub-Alpibus gentes, de quibus idem author: *Ligures immi Alpium iugis adhærentes, inter Varum & Macram flumen implicitos dumis silvestribus, maior aliquantò labor erat invenire, quam vincere. Tutum locis & fugâ, durum atq; velox genus, ex occasione magis latrocinia quam bella faciebat. Itaq; cum diu multumq; eluderent, saltu, viis, latebris, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus sepsit, Bœbius in plana deduxit, Postumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur*.

Flor. lib. 2. c. 15.
Plutar. Cat. Maj.
Cic. in eod.
Vell. Paterc. l. 2.
Mamertin. pan. ad Maximian.
Ibid.
Tacit. 13. an. 39.
Flor. l. 1. c. 16.
lib. 2. c. 3.

XVIII.

DIFFERIMUS POST PRÆLIA PRÆDAS.

Maudite avidité differe ton pillage
Voy tu pas ces Daulphins te ſemondre à ton bien
Et qu'en quittant le corps tu te prens à un rien
Donnant à l'ennemi de vaincre l'advantage.

EST *provinciæ Narbonensis & in Nemausiensi agro stagnum. Laterra appellatum, ubi cum homine Delphini societate piscantur. Innumera vis Mugilum statotempore angustis faucibus stagni in mare erumpit, locumq; solum pandendis retibus habilem effugere festinat, quod ubi animadvertere piscantes, totusq; populus è littore quanto potest clamore conciet Simonem. Celeriter Delphini exaudiunt desideria, & in auxilium advolant. Properè apparet acies, pugnâ opponente sese ab alto, trepidosq; in vada urgent. Tum piscatores circundant retia, farciq; sublevant, mugilum nihilominus velocitas transilit. At illos excipiunt Delphini, & occidisse ad præsens contenti, cibos in victoriam differunt. Ita peractâ capturâ, quos interemere, diripiunt.* Singulari præcepto, in quod multoties impegit *aviditas omissâ cæde prædam sectantiũ*, quâ quidem *rapiendi aviditate multi iam exercitus perierunt.* Quid quæso aliud *obstitit vincentibus* sæpe Gallis, Britannis, Germanis, quam *prævum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi?* Nonne proditum est, de Trevetici prœlii eventu, *suam illic victoriam Germanis obstitisse dum omissis telis prædâ manus impediunt?* sic *Sarmatæ cupidine prædæ graves onerè sarcinarum, velut vincti, cædebantur* à Romanis, ut non immeritò Suetonius Paulinus milites suos hortatus fuerit, *conferti tantum & pilis emissis, post umbonibus & gladiis stragem cædemq; continuarent prædæ immemores, partâ victoriâ, cuncta ipsis cessura.* Sicut & Julianus Imperator: *Superest*, inquit, *fortissimi milites, ut aviditate rapiendi posthabitâ, quæ insidiatrix sæpè Romani militis fuit, quiq; agmini cohærens incedat.* Pluribus exemplis hanc porrò exegesin confirmare, (quamvis plurimis tam recentioribus quam antiquioribus reverà confirmari posset) non est huius instituti, quæ si recitarem, vel libro fuerint implendo.

Plin. lib. 9. c. 8.

Tacit. 1. ann. 65.

Plato li. 5. de rep.

Tacit. 4. hist. 78.

Id. 5. hist. c. 17.

Id. 1. hist. c. 79.

Idem 14. an. 36.

Ammian. Marcell. l. 23.

XIX.

Virg. lib. 12. Æn.

ADSPIRAT FORTUNA
LABORI.

Ce n'eſt pas tout de faire à Dieu longue priere
Tenant les bras croiſez & rien n'executant,
Desployez rame & voile aidant ainſi le vent,
Et puis proſperera le cours de la Galere.

QUod Orator Planco scribit: *omnia summa consecutus es; virtute duce, comite fortunâ*, Id Historicus universo populo Rom. tribuit, quem *tot laborib. periculisq; iactatum esse* refert, *ut ad constituendum eius imperium contendisse virtus & fortuna viderentur*. Cui planè geminum illud Ammiani. *Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura, dum erunt homines, Roma, ut augeretur, sublimibus incrementis, fœdere pacis æterna virtus convenit atq; fortuna: quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem*, quo quidem innuitur, ad omnem prosperum magnarum rerum eventum peragendum, virtutem & fortunam concurrere *cum duo sint, quæ claros duces efficiant, summa virtus, & summa felicitas*: ità tamen, ut semper prima laus virtuti ac labori, proxima non nisi fortunæ debeatur: Cic. l. 10. Fam. Ep 3. Florus in prol. Marcellin. l. 14. Pacat. pan.

Atq; edepol fermè, ut quisq; rem accurat suam,
Sic ea procedunt postprincipia denique. Plaut. perf. 4. 1.

Livium testor, qui de expeditione Camilli in Vejos, *Omnia*, inquit, *ibi summâ ratione consilioq; acta, fortuna etiam, ut fit, secuta est*. Quæ una authoritas (plures enim brevitas nostra non admittit) adstruendæ veritati est duorum hemistichi in parallelorum, à Macrobio relatorum: lib. 5. c. 19.

Audentes fortuna iuvat Virg 10. Æn.
Et, *Fortibus est fortuna viris data*. Ennius l. 7.
Deus enim otiantibus haud assistit, Stob. serm. 28.
At ubi vigilas ipse dii, quoque admouent manum. Æschyl. in Perf.

Audiat hæc quisquis
Meliora deos sedet omnia poscens neve nihil agenti sibi de cœlo devolaturam in sinum victoriam censeat, multò minus *ignaviâ magna imperia contineri* putet. Sed potius amplectatur hoc Spartanorum veriverbium; dicentium: *fortunam prolatâ manu esse invocandam, tanquam oporteat Deos tum invocari, cum quid aggressuri, acturique sumus, aliter autem nequaquam*. Macr 6. Satur. 1. Virg. 3 georg. Liv. lib. 7. c. 12. Tac 15. ann. c. 1. Plut inst. Lacon

XX.

SI CECIDI MALE CORRIGAR ARTE.



La vie des mortels reſſemble au jeu de dez
Nous mõſtrant quelquesfois une chance aſſez bõne
Mais ſe changeant ſoudain un triſte jeƈt nous donne:
Heureux qui range bien tant de varietez.

FRequens hæc imago apud bonos authores: *Vita res est tesserarum aleæ similis. Non eadem semper cadunt, neq; vita manet eadem* Stob. serm. 101.
species, sed variat, inquit Alexis. Accedit Socraticum illud: *Aleæ ludo* Id. serm. 112.
similis est vita, quidquid evenit, veluti quandam tesseram disponere oportet. Non enim denùo iacere licet, neq; tesseram aliter ponere. Quasi alter ex altero transscripserit, ita concinit his Comicus:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris, Terent. adelph. act. 4. sc. 7.
Si illud quod est maximè opus iactu non cadit,
Illud quod cecidit fortè, id arte ut corrigas. Sed & Plato Plutar. de tranq. animi.
humanam vitam cum aleâ comparabat, in quâ optimus quisq; iactus aleatori maximè expetendus est, & utcunq; tamen ceciderit, adhibenda artificiosa cura est, ut eo, quod casus tulerit, quam rectissimè utatur. Quorum tamen ipsorum alterum in nobis situm non esse, aleæ videlicet iactum: alterum situm esse, si sapientes sumus, id quod sors attulerit, æquo ut animo excipiamus, & ut unicuiq; locum distribuamus, quo magis commodet id, quod benè ceciderit, quoq; minus incommodet id, quod retrovorsum cesserit. Talis erat Alexander, qui, *ut magnus propter fortunam fuerit, maior certè vel ob idipsum,* Idem de fort. & virt. Alex.
quod fortunâ rectè usus est, prædicatur. Quare *sciant homines, bono Imperatori haud magni fortunam momenti esse, mentem rationemq; dominari.* Liv. l. 22. c. 25.
Nam

Victrix fortunæ sapientia, quâ opus: *neq; enim Musices* Iuven. sat. 13.
ignari instrumenta concinnare, neq; indocti infortunia sibi accommodare possunt. Stob. serm. 2.
Et hoc est, quod poëtæ vocant, *Fortunam virtute domare*, quæ phrasis occurrit sæpius, inprimis apud Claudian. pan. in Pro. Probi. & Olybr. & apud Statium lib. 2. Thebaid.

XXI.

Lucan. l 3. pharſ.

PLUS NOBILIS IRÆ TRUNCUS HABET.

Combien que l'ennemi en ceſt eſtat m'auiſe
Si luy veux-je monſtrer en defendant mon rang
Du reſte de ce fer, du reſte de mon ſang,
Qu'un homme vertueux n'eſt jamais inutile.

Commemorat in commentariis Sylla, cum Athenas oppugnaret, primum in murum evasisse M. Teium, ac cum hostem, qui se obiiciebat ei, ferret: ex violentia ictus, quem cassidi intulit, ensem fregisse: non cessisse loco tamen, sed ibi restitisse, atq; eum retinuisse: ergo capta ex illa parte urbs est; adeò Plutar. in Syll.

Nunquam non potest esse virtuti locus. Et libet hêic attexere sapientis de sapiente verba: *Vide*, inquit, *quâ sit se contentus aliquando sui parte contêtus est, si illi manũ aut morbus, aut hostis, inciderit: si quis oculũ casus excusserit, reliquiæ illi suæ satisfacient; & erit imminuto corpore & amputato tam lætus, quã integro fuit.* Ipse *semper*, inquit alibi, *in actu est, tunc maximus, cum illi fortuna se opposuit, per totam vitam opus eius extenditur. Ita nulla fortuna, nulla res actus sapientis excludit. Id enim ipsum agit, quo alia agere prohibetur. Ad utrosq; casus aptus est: bonorum rector, malorum victor. Sic, inquam, se exercuit, ut virtutem tam in secundis quam in adversis exhibeat, nec materiam eius, sed ipsam intueatur. Itaq; nec paupertas illum, nec dolor, nec quidquam aliud, quod imperitos avertit, & præcipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis? utitur. Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra: faciebat ex ære; si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illâ fieri optimum posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit, si minus, in paupertate. si poterit, in patriâ, si minus, in exilio: si poterit, imperator, si minus, miles, si poterit, integer, si minus, debilis, quamcunq; fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile efficiet.* Senec. in Medea. Senec. Ep. 9. Id. Ep 85.

Claud. de bello Get.

NEC TUNC OBLITA DECORI.

Le genereux Lion meſnage ainſi ſa vie
Aux euidens dangers ne la va prodiguant:
Mais pourquoy monſtre-il le front en reculant?
Prudence & hardieſſe enſemble ainſi marie.

LEo, inquit Aristoteles, *in venatu dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit, sed etiamsi venantium multitudine cedere cogitur, sensim pedatimque discedit, crebrò subsistens atq; respectans. Nactus verò opaca, fugâ quâ maximè potest veloci, se subtrahit, donec in aperta deveniat, tum rursus lentè incedit.* Quæ eadem ex hoc in sua transtulisse videtur Solinus, ac Plinius, quorum hujus en verba: *Illa nobilior*, inquit, *animi significatio, quamlibet magnâ canum & venantium urgente vi, contemptim restansq; cedit, in campis, & ubi spectari potest: idem, ubi virgulta silvasq; penetrarit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco.* Nimirum si militiæ Romanæ Doctori credimus, est & ars quædam quæ docet, *quemadmodum ab hostibus recedatur. Nam disciplinæ bellicæ & exemplorum periti nunquam maius periculum imminere testantur: qui enim ante congressum recedit ex acie, & suis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam.* Sed & *illud vitandum est, ne hostes te recedere sentiant, & statim irruant.* Ab hac arte commendatur Alcidamas apud poëtam; his versibus:

lib. 9. Hist. an. c. 44.

lib. 8 Hist. nat. c. 16.

Veget. l. 3. c. 22.

motu Spartanus acuto Statius. 6. Theb.

Mille cavet lapsas circùm cava tempora mortes,
Auxilioq; pedum, sed non tamen immemor artis,
Adversus fugit, & fugiens tamen ictibus obstat.

Quemadmodũ Scythæ dicuntur, non minus fugiendo quam insequendo pugnare. Vnde & Homerus equos Æneæ laudans, ait celerrimè hinc & illinc persequi atq; fugere: Æneamq; ipsum similiter ab ipsâ metuendi scientiâ quandoq; laudavit, dixitq;, illum metuendi fugiendiq; peritum. Nec minus Socrates τὸ πρέπον servavit *in prœlio commisso circà Delium. Confugientibus enim Athenientibus cæteris, ipse lento passu abibat, sæpè clàm retrospiciens, & ulciscì cupiens, si quis ense incautos invadere tentasset.* Itaque *nec ego nego verim aliquando cedendum, sed sensim relato gradu, & salvis signis, salvâ militari dignitate: sanctiores tutioresq; sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt. Hoc idemq; puto virtuti faciendum, studiosoq; virtutis: si prævalebit fortuna, & præcidet agendi facultatem, non statim aversus inermisque fugiat, latebras quærens, quasi ullus locus sit, quo non possit fortuna persequi: sed parcius se inserat officiis, & cum delectu inveniat aliquid, in quo utilis civitati sit.*

Plato in Lach.

Laërt. in vitâ Socratis.

Senec. c. 3. de tranquill.

XXIII.

MELIORI PERVIA CAUSÆ.

Ce n'eſt au bras humain la gloire
Qui enuironne le vaincueur,
Mais à Dieu qui donne victoire
Non au plus fort, mais au meilleur.

FAtemur *incertos exitus esse belli, martemq; communem*, interim tamen *id experiendoq; legendoq; scientes, in præliis quibusdam rarò rem titubasse* justorum, *in summâ verò bellorum nunquam ad deteriora prolapsam*, nimirum Cic. 4 philip. Ammian. l 17.

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest excutit arma pudor. Propert. l. 4 El. 6.

Causa iubet superos melior sperare secundos Quâ eadem *spem successus secundi fundante* respondent Athenienſibus Melij, *quod ad fortunam quidem attinet, nos non inferiores futuros Deo favente considimus: quia insontes vobis, haud iustè nos invadentibus, obsistimus*, adde: quia Lucan. lib. 7. Amm. d. l. 17. Thucyd. lib. 5.

In causâ iustâ etiam parvus superet magnum. Hac eadem fretus ad ſuos Dictator Rom. *Ite*, inquit, *alacres omnes ad prælium, spemq; bonam fortium facinorum ducem sumite*, & Dictator perpetuus: *cum & auditu milites*, inquit, *accepissem & reipsa expertus essem maximas ac plurimas bellicas aut potius omnes actiones humanas feliciter ab iis confectas, qui in consilio capiendo inq; agendo iustitiam & pietatem præ aliis observassent, nunc id & mente cum primis repeto, & vos considerare iubeo. Nam etsi tantis sumus instructi viribus, ut etiam in causa iniquiore victoriâ sperare nobis liceret, tamen haud paulò plus fiduciæ in belli causa, quam in apparatus robore pono.* Quocirca notabilis vox eſt Imp. Juliani: *æquitati semper solere iungi victoriam.* Id quod graphicè ſuis probat & exprobrat ominabundus Hanno: *Tarento tum*, inquit, *in Italiâ non abstinueramus, ex fœdere, sicut nunc Saguntho non abstinemus, vicerunt ergò Dii hominesq; & id de quo verbis ambigebatur uter populus fœdus rupisset, eventus belli, velut æquus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit.* Sophocl. in Oedip. Colon. Dionyſ. lib. 6. Dio Caſſ. l 50. Amm Marc. l. 23. Liv. l 21. c. 10.

Hinc sæcula discant,
Indomitum nihil esse pio, tutumue nocenti,
Non dabitis murum sceleri, qui vindicat, ibit.
Omnia subsident meliori pervia causæ. Claudian. 4. conſ. Honor.

Itaque victoriæ cupidis *Deo simul & iustitiâ nihil magis existat, absq; hac enim nihil commodè geri potest:* Nou. 164. in pr.

Nitidus quisquis hanc sensibus hausit,
Irruet intrepidus flammis, hiberna secabit
Æquora, consertos hostes superabit inermis.
huic fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, huic militat æther
Et coniurati veniunt ad classica venti. Claud. in conſ. Manlii. Id. in 3. conſ. Hon.

Virg. Ecl. 1.

XXIV.

DEUS NOBIS HÆC OTIA FECIT.

Loüons noſtre bon Dieu & noſtre ſage Prince
De ce calme tant doux d'une aggreable paix
Et prions ardamment que durant à iamais
Sur nous ne puiſſe rien de l'ennemi la pince.

Pacem omnium confessione summum bonum esse constat. Sicut enim *homines qui in perturbatis fluctuantibusq; rebus versantur, parum aut nihil potius ab iis differunt, qui tempestate iactantur; eodem enim modo susq; deq; & in omnes partes abripiuntur, ac si quid vel minimum fefellerit, prorsus submerguntur*: ita è diverso, *non alia facies est quietis moderatiq; imperii, quam sereni cœli & nitentis; quamq;*

Thucyd lib. 4. Dio Cass. lib 18. Senec. 1. clem. 7.

Maris est olim, cum ibi halcedo pullos educat suos.
Tum via tuta maris, ventos custodit & arcet
Æolus egressu, præstatq; nepotibus æquor.

Plaut. pœn. 1. 2. Ovid. lib. 11. met.

Nimirum *ante brumam septem diebus totidemq; posteà: unde nomen hi dies traxére, & nautis sunt noti, nam in his tempestatem non metuunt.* Vocantur autem *Halcyonii*, & simpliciter apud Plaut. *Alcedonia*, referunturque proverbialiter ad illos, qui securam agentes & pacatam vitam, in tranquillitate degunt; quam his verbis invocat Poëta græcus:

Plin. l. 2 c. 47. Id l. 10. c. 32. rolog. Casinæ.

O dulcis tranquillitas urbes magnificans,
Filia iustitiæ, tenens claves consiliorum & bellorum.

Pind. pyth. od. 8.

Atque *hæc individua bona, pax & libertas, tam omnium tota quam singulorum sunt, sed tot tantis q; muneribus ac bonis, quæ dii largiuntur, non licet nec frui nec uti rectè, si desit lex, iustitia & princeps.* Sic ergò *quies suavissima populi & tranquilla dispositio regionum, præconium probatur esse regnantium. Cogitat itaq; sapiens, per quem sibi horum usufructus contingat, per quem non ad arma illum, nec ad servandas vigilias, nec ad tuenda mœnia, & multiplex belli tributum, publica necessitas voret, agitq; gubernatori suo gratias. Confitetur multum se debere ei, cuius administratione ac Providentiâ contingit illi pingue otium, & arbitrium sui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies.*

Senec. Ep. 73. Iust. lib. de laud. princ. Cassiod. lib. 5. Var. Ep. 30. Senec. d. Ep. 73.

XXV.

NON LÆTATA DIU SPES IMPROBA.

Ce moucheron penſant tantoſt auoir victoire
Sur ce Lion s'eſtoit meſconté lourdement,
Car triomphant trop toſt honteux luymeſme pend
A ce foible filet, deteſtant vaine gloire.

EGregius est apologus Leonis & culicis. Hic postquam se suasque laudes diu deprædicasset, illius elevasset, *quid verbis opus est*, inquit? *pugnam ineamus: atque in leonem impetum fecit, oculos aliasq; omnes capitis partes pilis carentes appetens; irascebaturq; Leo. Culex interim maiorem ex illius irâ voluptatem capiens, ipsa etiam labra invadebat, atq; ille quidem, ad partem dolentem sese incurvans, declinabat: hic verò luctatoris vice, contracto corpore, per medios leonis dentes, os etiam clausum transiens, elabebatur. Itaq; inani pugnâ fatigatus, irâq; devictus Leo quieverat: circumsq; culex (incredibili quadam vecordiâ; ex Floro hæc insero; quasi vicisset, qui evaserat) victoriæ signum cecinit. Inde cum insolentiâ elatus ampliore gyro volatum produceret, in aranei telam improvisò incidit, suamq; ipsius dementiam detestatus, me miserum, inquit, qui Leonem provocare ausus, tenuem aranea telam evadere non possum.* Tangit illos affabulatio, qui cum in eo sint, ut ingentium victoriarum imaginatione de præstantioribus talibusque qui *diutius perire possunt, quam ipsi vincere*, tantum non triumphos jam sperent ac spirent, interim ab invalidissimo quoque nullo planè negotio ignominiosè conficiantur: in quos illud quadrabit: *priusquam viceris, & facis & canis de te ipso Encomium.*

Achil. Tatius lib. 2.

Senec. suas. 5.

Plato in Lysid.

Sed caret eventu nimius furor: improba nunquam
Spes latata diu.

Claud. bell. Get.

Exemplo sunt Galli Senones, quos *cum iam obsidio suo Capitolium fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, idq; ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio superbè, væ victis, increparent, subitò aggressus à tergo Camillus cecidit.* Nec me contineo quin huc traducam verba Quintiliani, licet paulum alieniora, & ad militiam togatam pertinentia: *Malis hominibus*, inquit, *ex contemtu opinionis & ignorantiâ recti nonnunquam excidit ipsa simulatio: inde immodestè proponunt, sine pudore affirmant, sequitur in his, quæ certum est, effici non posse, deformis pertinacia, & irritus labor. Nam sicut in vitâ, ita in causis quoq; spes improbas habent. Frequenter autem accidit, ut his etiam vera dicentibus, fides desit, videaturq; talis advocatus malæ causæ argumentum.*

Flor. l. 1. c. 13.

l. 12. Inst. or. c. 1.

XXVI.

UT LAPSU GRAVIORE RUAT.

Veux tu ſçauoir au vray, que c'eſt de dignité
Contemple quant & moy la vaine conuoitiſe
De ce ſot animant, & puis oy ſa deuiſe,
De plus haut tombera qui plus haut eſt monté.

Testudines à se comprehensas ex alto deiicientes aquilæ ad saxa allidunt, & ita ex contritis earum testis extractam carnem exedunt, quæ sors interemit poetam AEschylum. Historia nota est, nec ignota item trita illa Æsopi fabula, numero 61. quam optimè μυθολογῶν versus illi Claudianéi: Ælian. l. 7. Var. c. 16. Plin. lib. 10. c. 3.

Iam non ad culmina rerum
Iniustos creviſſe queror, tolluntur in altum,
Vt lapsu graviore ruant. Claud. lib. 1. in Ruffin.

Cujus rei documentum nobis luculentissimum esse potest Cæpio Crispinus: Is enim *egens, ignotus, injuriis, dum occultis libellis sævitiæ principis adrepit, mox clarissimo cuiq; periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod securi ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremùm sibi invenere.* Tac. 1. ann. c. 74.

Simile quid ad M. Attilium Annibal refert: *non statuendo tandem,* inquit, *felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quantò altius elatus erat, tantò fœdius corruit.* Liv. lib. 30. c. 30.

Itaque in genere accommodari huc poterit illud Tragici:

quidquid in altum
Fortuna tulit ruitura levat. Senec. Agam.

eique subjungi sequentia ex disertissimo Patrum: *AEgyptios, & Persas, & Gracos, & Assyrios proditum est, regimen habuisse terrarum, quibus omnibus destructis, ad Romanos quoq; rerum summa pervenit: qui, quanto cæteris omnibus regnis antistant, tanto maiore decident lapsu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ cæteris sunt altiora.* Lactant. c. 15. de vitâ beat.

quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius: quia *nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur.* Cic. 3. offic. Senec. Ep. 27.

XXVII.

MELIUS SI SINGULA.

Poil à poil tire vne main laſche
Toute la quëue d'un poulain
Qu'entiere vn bras nerueux n'arrache
Peu à peu fait en fin grand gain.

Contrà duos ne Hercules quidem dicitur sufficisse. Itaque prudens dux nunquam eodem tempore plures hostes habeat: quam causam factæ cum Mithridate pacis Sylla *allegavit, non potuisse Fimbriæ se simul & Mithridati, si coissent ambo in se, subsistere.* Pompeius, *ubi nouis motibus ardere Asiam videbat, aliosq; ex aliis prodire reges, nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, transiit Euphratem, eundemq; regem fugientem uno prælio confecit. Vnus exercitus in propinquo est,* inquit L. Martius ad Milites suos, *duo haud procul absunt, nunc adgredientibus par aliqua opportunitas est; si diem proferimus, periculum est, ne omnes duces omnesq; copiæ conveniant, tres deinde duces tres exercitus sustinebimus: ut dividendo copias, perière duces nostri, ita separatim ac divisi opprimi possunt hostes.* Videamus etiam Philippum Macedonem: is *principio regni, cum bella veluti conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam multarum gentium ex diversis locis uno tempore consluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus alia interpositâ pactione componit, alia redimit, facilimis quibusq; aggressu: quorum victoriis & militum trepidos animos firmaret, & contemptum sibi hostium demeret.* Adeò *multa quæ simul opprimi nequeunt, atteri paulatim* docuit hoc icone Sertorius, qui, *cum Lusitanos oratione flectere non posset, ne cum Romanis universâ acie confligere vellent, duos in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum, ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi à iuvene universam convelli iussit. Sed dum adolescentis dextra irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium executa est: tunc barbara concioni subiecit, consimilem esse Romanorum exercitum, cuius partes aliquis aggrediens opprimere posset, universum conatus prosternere, celerius tradiderit victoriam quam occupaverit.*

Plato in Phæd.

Plutar. In Syllâ.

Flor. lib. 3. c. 5.

Liv. l. 25. c. 38.

Iustin. lib. 7.

Plutarch. Sertor.

Val. Max. l. 7. c. 3.

XXVIII.

Virg. 2. Æn.

JAM PROXIMUS ARDET.

Lors que tu vois le feu au prochain voiſinage
Oiſif le regardant tes mains au ſein ne tiens
Le mal en veut à toy, le danger t'appartient:
Accours donc en commun à ce commun dommage.

Quilibet eum, qui prepotens est, non solùm contrà se venientem propulsare solet: sed etiam antevertere, ne contrà se aliquando veniat, ait Alcibiades: id quod ita effert Horatius: Thucyd. lib. 6.

Ecquid Lib. 1. Ep. 18.

Ad te post paulò ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires. Cum Hannibal

——*Romam comprendere bello* quæreret, in causam belli Saguntinos aggressus est, itaque horum Legatus Romanis ita vaticinatur:

Spumeus hic, medio qui surgit ab æquore, fluctus, Sil. Ital. lib. 2.
Si prohibere piget, vestras effringet in urbes.
An tanti pretium mortis ruptique per enses
Fœderis hoc iuveni, iurata in bella ruenti,
Creditis, ut statuat superata iura Sagunto?
Ocyus ite viri, & nascentem extinguite flammam,
Ne seræ redeant post audta pericula curæ. Cum Philippus diu dissimulatum bellum Atheniensibus inferret, Thebani se iunxere, ne victis Iustin. lib. 9.
metuentes Atheniensibus, veluti vicinum incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter duas paulò antè infestissimas civitates societate, legationibus Græciam fatigant, communem hostem putant communibus viribus summovendũ: neq; enim cessaturum Philippum, si prosperè prima successerint, nisi omnem Græciam domuerit. Hac eadem ratione moti Capenates atque Falisci, duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant, devictis Veiis bello quoq; Romano se proximos fore credentes, cum exercitibus nec opinatò ad Veios accessére. Liv. lib. 5. c. 8.
Quid Campani? *Pugnavimus*, inquiunt, *verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: & ubi conflagrassent Sidicini, ad nos traiecturum illud incendium esse.* Id. lib. 7. c. 30.

XXIX.

Lucan.l.3. pharſ. PEREUNT NULLO DISCRIMINE.

Ce Loup degaſte-parc tuë tout ſans diſcrime
Ne te fie au Tiran, ſon flatter eſt changé
En moins d'vn tourne main, apres m'auoir mangé
De meſme il te fera ta faute aidant ſon crime.

Cum incursione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat, Cypr. serm 4. de mortalit.

arma non servant modum, Senec Herc fur.

Nec temperari facilè nec reprimi potest

Stricti ensis ira, Nec subsistit unquam lassa crudelitas, immanium ferarum modò, quæ plus, quam exigit fames, mordent. Id quod Senec. Ep. 95. inprimis *de Lupo Philosophus* atque adeò proverbialis experientia firmat: ac talis fuit L. Sylla, *cui occidendi finem fecit sola inopia hostium:* Arist. 9. hist. an. c. 6. Senec. 1. clem. 12. quamvis, quo ad cæteros quoque, *ita ferre naturam dicant* legati Armeniorum, *ut omnis victor inexatiabili rerum secundarum desiderio efferatur, neq; finem ullum cupiditati statuat.* Quare neutiquam fidendum feralibus hostium blanditiis, quorum amicitia semper sapit illud Cyclopicum: Dio Cass. lib. 35. Homer. ἐδυσσ. ί.

Vtin' ego extremum edam post suos socios,
Cæteros quidem prius, hoc tibi hospitale munus erit.

Scythæ quo tempore Europæ imperium appetebant, infensi quidem erant Græcis universis, sed privatim Athenienses accusabant. Existimabant enim, eâ se ratione unam duntaxat urbem adversariam habituros, & universarum simul potituros. Sic Cato M. Carthaginienses benè sensit *præludia belli Rom. agitare bellum Numidicum, pacem & fœdus prætexentes belli morâ, dum opportunitatem expectant.* Sic Hermocrates Camarinæis; hostes, inquit, Isocrat. paneg. Plut. Cat. Mai. *adimadvertamus, ad hanc artem animos appellere, ut alios quidem de nobis oratione suâ dissocient, alios verò, spe suæ societatis oblatâ, ad mutuum bellum concitent, alios verò, prout possunt, singulis aliquid blandi dicentes, detrimento afficiant. Precamur verò simul, & testificamur, si Athenienses nos subegerint, vestris quidem consiliis, culpâq;, victores evasuros, sed suo ipsorum nomini honorem habituros, & pro victoriæ præmio nullum alium, quam illum ipsum, qui victoriam ipsis subministrarit, accepturos.* Annotemus etiam Thucyd. lib. 6. heic Antonii de Cæsare verba: *Quid enim sibi vult*, inquit, *qui cum arma contrà omnes nos ferat, in decreto tamen aliis se bellum facere, aliis non facere asserit? non profectò, non eo animo, quod discrimen aliquod inter nos statuat, aut si vicerit, diversis alios atq; alios modis tractare statuerit, sed ut seditionem inter nos misceat, invicemq; commissos, infirmiores reddat.* In Dio Cass. lib. 50. summâ *Vtilissimus est qui minimum gratificatur hostibus.* Thucyd. lib. 1.

XXX.

A SE CONFRINGITUR IPSA.

Tout Royaume & eſtat bandé contre ſoymeſme
Au vif nous eſt depeint par ceſt arbre briſé
De ſes propres rameaux; ainſi mal aduisè
Soymeſme combatant s'abbat auſſi ſoymeſme.

QUod Pericles olim de Bœotis schemate dixit: *similes esse ilicibus, Ilices enim à se contundi, & Bœotos inter se pugnare:* id verò apertius enuntians *Democritus, seditionem intestinam utrinq; nocere dicebat: etenim tum victoribus tum victis perniciosum esse æqualem*, unde Vates hæc

Aristot. lib. 1. Rhet. c. 4.

Bella nullos habitura triumphos

indigetat: id quod suo tandē damno didicerunt Othoniani & Vitelliani tum cum pace facta *victi victoresq; in lacrimas effusi, sortem civilium armorum miserâ lætitiâ detestantes, iisdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebāt, nec quisquam adeò mali expers, ut non aliquam mortem mœreret. Ita ubi cives seditiones movere inceperunt, vimq; vi ulcisci student, neq; æquitate humanitateve vindictam, sed cupiditate armorumq; licentiâ, metiuntur, necessariò calamitates quasi orbe quodam semper revolvuntur, continentiq; successione mala malis redduntur. Res enim secundæ in libidinem mortalibus exundant, ut nullum cupiditatibus modum statuant, contrà calamitatibus pressos ira malorum exagitat, ut cum non confestim perierint, ulcisci eos à quibus afflicti sunt concupiscant, donec animum suum exsatient. Reliqua multitudo etsi nullam rerum societatem cum his contraxerit, tamen oppressorum misericordiâ, metuq; eiusdem sortis, odioq; eius, quæ prævaluit, ac spe eiusdem licentiæ adipiscendæ, miseris opitulatur. Ita fit, ut ii quoq; cives, qui neutram partem ante sequebantur, in seditionis partem ipsi quoq; alliciantur, aliiq; subinde alii sub specie ultionis, (quam semper ii qui oppressi sunt exigunt) in vindicandis iniuriis succedant, idq; malum quasi legitimum iam in orbem recurrat, quibus vicibus cum alii aliàs privati pereant, ipsam interim rempubl. omnes ex æquo pessundant.*

Tac. 2. hist. 46.

Dio Cass. l. 44.

XXXI.

QUIN IRAS VERTAMUS IN ILLUM.

Quittez ſoldats Chreſtiens ces civiles vacarmes,
A l'ennemi commun courez courez treſtous
Ces dogues imitans qui ayant veu le loup
Enſemble ralliez tournent ſur luy leurs armes.

CVM *Daci, Getæ, cæteriq; Germaniæ magnæ populi, Romanos dissidentes armis adoriri parārent: unus ducum* ab Aventino (neque n. me pudet in re non novâ novi authoris) *Scorio nominatus, duos canes in conspectu popularium commisit, hisq; acerrimè inter se pugnantibus, lupum ostendit: quem protinus canes, omissâ inter se rixâ, agresti sunt. Ita gens barbara, & aspera, & regi difficilis, in exitium suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis pervidit.* Nempe verebatur dux astutissimus, ne *Romanis bellum externum concordiam pareret, irasq; civiles in exitium hostibus verterent*, id quod sæpe factum est, & adhuc faciendum sibi putent omnes populi ac milites, non hoc solum spectaculo *docti commune periculum nonnisi concordiâ propulsandum* sed & imitatione legionum Germanici, qui hoste propinquante *advectus ad Vicesimanos, voce magnâ, hoc illud tempus obliterandæ seditionis, clamitabat, pergerent, properarent culpam in decus vertere*; certè verterunt, & unà hostes in fugam. Audiamus & Alexandri militem, de se suisque commilitonibus loquentem: quorum impetum & affectûs *signum tubâ datum finiebat: in suos ordines*, inquit ille, *quicq; currimus, & quidquid irarum in tabernaculo conceptum est, in hostium effunditur capita.* Adducendæ forent & L. Syllæ legiones, quas ille pernîciosâ seditione furentes, sublato ad arma vocantium clamore, tanquam hostibus ingruentibus divertit: sed ad alia nos ipsos ordo divertit Emblematum. Nequeo tamen omittere quod de vetustioribus Romanis ætati suæ ad æmulandum proponens historicus inquit: *Iurgia, discordias, iras, simultates, non nisi cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant.*

lib. 1. annal.

Val. Max. l. 7 c. 3.

Tacit. 5. hist. 12.

Id. l. 1. ann. c. 43.

Tac. Agr. c. 29.

Id. 1. ann. 51.

Curtius lib. 7.

Salust. Catil.

XXXII.

OPPORTUNE.

Entendez à cecy ô race de Cadmée
Qui acharnez au ſang de vos propres gemeaux
Donnez à l'eſtranger les glaiues & couſteaux
Qui de voſtre debat erige ſon trophée.

Grues pugnant inter se tam vehementer, ut dimicantes capiantur, hominem enim expectare potius, quam pugnâ desistere patiuntur. Et hic est fructus intestinæ discordiæ, cujus rei exempla sunt passim in promptu. *Græciæ civitates*, ait Trogi abbreviator, *dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt, quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, ab omnibus victæ periére, quid singulæ amitterent, nonnisi oppressæ senserunt. Siquidem Philippus rex Macedoniæ, veluti è speculâ quadam, libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresq; subire regiam servitutem coëgit*, quem eundem, *cum fratres duo, reges Thraciæ*, de regni terminis ambigentes, *invicemq; metuentes ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent, ille ad iudicium, velut ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu superveniens, regno utrumq; spoliavit.* De Seleucensibus Annales: *quoties*, inquiunt, *concordes agunt, spernitur Parthus, ubi dissensére, dum sibi quisq; contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem, adversum omnes valescit.* A germanis *inde otium*, referunt iidem, *donec occasione discordiæ nostræ, & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavére.* Itaque cum Romæ domestica seditio glisceret, opportunè arma sumebat Hetruria tota, *quod in spem ventum erat, discordiâ intestinâ dissolvi rem Romanam posse, principesq; in omnium Hetruriæ populorum consiliis fremebant: æternas opes esse Romanas, nisi inter semetipsos seditionibus saviant, id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia essent.* Quare *inter hostes discordiarum serere causas, sapientis est ducis*, opinione Vegetii, Nulla enim, (addit ipse) *quamvis minima natio, potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus seipsa consumpserit. Nam civile odium ad inimicorum perniciem præceps est, ad utilitatem suæ defensionis incautum.* Quippe *principium interno simul externoq; bello parantibus fatis, & conversis ad civile bellum animis, externa sine curâ habentur.*

Arist. 6. hist. an. 12.

Iustin. pr. lib. 8.

Ibid.

Tac. 6. ann. 42.

Id. Germ. c. 37.

Liv. l. 2. c. 44.

Veget. 3. c. 10.

Tac. 2. hist. 69.

Id. 1. hist. 79.

XXXIII.

REDDIT CONIUNCTIO TUTOS.

Vous ſemble-il pas voyr un guerrier bataillon
Rangé contre l'effort des troupes ennemies
Ce ſont foibles oiſons: mais les forces unies
Contre un fier ennemi ſouuent ont tenu bon.

TErtii generis aquilam *Morphnon* vocat naturæ consultus, *aliqui & Plancum, & anatariam*, eò quod vivens *circà stagna, aquaticas aves appetat, mergentes se subindè, donec sopitas lassatasq; rapiat. Hæc causa gregatim avibus natandi, quia plures simul non infestantur, respersu pinnarum hostem obcæcantes*: egregio concordiæ symbolo: cujus unius *merito, cum aliàs magna facinora, tum à civitatibus bella confici possunt: secus haudquaquam.* Sicut enim Plin. l. 10. c. 3. Stob. serm. 41.

Vtilis est coniuncta virtus, virorum etiam valde timidorum Homer. Iliad. v.

Ita vel fortissimi, *dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Cuius rei documentum esse potest Vitellius. *Nam cum transgredi Apenninum, integro exercitus sui robore, & fessos hieme atq; inopiâ hostes aggredi in aperto foret; dum dispergit vires, acerrimum militem & usq; in extrema obstinatum, trucidandum capiendumq; tradidit*, quare meritò quis laudaverit prudentissimum Callicratidæ consilium; iurantis, *se, cum primum Spartam reveniisset, omnia facturum, ut Græcos reconciliaret, quò Barbaris sint formidolosiores*, nempe cõspiciebat vir amantissimus patriæ, *consensionem eorum potentem & invictam fore: dissensionem verò imbecillem & caducam.* His si paria fecissent Romani, non audiissent illud à populari suo dicente, *Videmini intenta mala, quasi fulmen, optare se quisq; ne attingat, sed prohibere ne conari quidem.* Mihi verò tandem heic obiiciat aliquis ineptè fastidiosus: *quousq; eadem? respondeo;* Tacit. Agr. c. 12. Id. 3. Hist. c. 56. Plut. apoph. Lac. Id. lib. de garrulitate. Sallust. orat. Philippi. Senec. Ep. 89.

ego dicere debeo quousq; eadem peccabitis.

XXXIV.

SIC PERGIMUS AMBÆ.

Vous qui en meſme eſtat tirez à meſme roue
Comprenez bien cecy: aux communs accidens
L'un à l'autre cedez; d'eſtriuer il n'eſt temps,
Craignant que de vous tous fortune ne ſe joue.

Solertiam caprarum Mutianus visam sibi prodidit in ponte prætenui, duabus obviis è diverso: cum circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo, in exilitate cæcâ, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atq; ita alteram proculcatæ supergressam. Plin. lib. 8. hist. cap. 50.

Ad hoc exemplum nunquam oportet eos privatis odiis dissidere, qui publicè summâ iuncti sunt potestate, sed positis odiis in medium consulere, prava certamina communi utilitate abolendo. Val. Max. lib. 4. cap. 2. Tac. 2. hist. 5. Cic. 1. offic.

Etenim miserrima est omninò ambitio honorumq; contentio. De quâ præclarè apud Platonem est: similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius Rempubl. administraret, ut si nautæ certarent, quis eorũ potissimum gubernaret. Ideoq; præcipit, ut eos adversarios existimemus, qui arma contrà ferant, non eos, qui suo iudicio tueri Remp. velint.

Quòd ijs maximè dictum, qui societatem magistratu tanquam inimicitiarum atq; dissidii causas aversantur, quibus id eveniat necesse est, ut unum è tribus malis effugere nequeant: aut enim collegam parem sibi aut meliorem aut inferiorem existimabunt. Si parem, per factionem dissentire ab eo incipient, ne cedere videantur: si præstantiorem, invidiâ & livore flagrabunt, si inferiorem, contemnent: quandoquidem diversa omninò ratione præstantioribus morem gerere, inferiores ornare, paribus honorem habere deberent. Plut. Politic. Id. paulò ante.

Honos verò magistratibus ille inprimis habendus est concordia atq; consensu collegarum, quo nil firmius ad rempub. tuendam, cui meritò gratulandum, si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus iunctos animis, parére atq; imperare iuxtà paratos, laudemq; conferentes potius in medium, quam ex communi ad se trahentes, quales fuére collegæ Camilli, fatentes, regimen omnium rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in viro uno esse, sibiq; destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium: nec quidquam de maiestate sua detractum credere, quod maiestati eius viri concessissent: sciebant enim, quas rerum acerbitates iam conclamatas, & perditas, concordia vicissim sibi cedentium principum meliorem revocavit in statum. Liv. lib. 6. c. 6. Ibid. Iulia apud Marcell. lib. 20. Liv. lib. 42. c. 34.

Adeò decet omnia honesta loca ducere, quibus Remp. defensuri sitis. Ita cum ante pugnam Platæensem Tegeatæ de loco in acie ambigerent cum Athenien sibus: Aristides, Tegeatis, inquit, ut de claritate & virtute reclamemus, præsens non permittit tempus, apud vos vero Græcos dicimus, loco neq; adimi neq; conferri virtutem. Quem vos ordinem nobis assignabitis, eum dabimus operam ut ornemus atq; tueamur: neq; enim, ut tumultuemur contrà socios, assumus, verum ut cum hostibus dimicemus, neq; ut patres nostros laudibus feramus, sed quo nosmetipsos præstemus Græciæ viros fortes. Siquidem præsens Mars declarabit, quanti quaq; civitas & dux & privatus sit apud Græcos æstimandus. Plutar: Aristide.

XXXV.

Ovid l. 2. met. in fi.

NON BENE CONVENIUNT.

Ces deux grondans maſtins nous monſtrent qu'au Royaume
Plus de foy ni reluit ni de communauté
Car à confeſſer vray, ceſte externe beauté
De la foy qui s'y voit, n'eſt qu'vn hideux fantoſme.

QVando unquam regni societas aut cum fide cepit, aut sine cruore desiit? sic Thebanorum germanitas ruptæ & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia, & Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmulâ potestate tenuerunt. Vsq; adeò insociabile undiquaq; est imperium, diffidentiæq; & malevolentiæ plenum: Et oraculi vox est, non poëtæ: Cypr. tr. 4. de Idolor. vanit. Plut. in Demetr.

Dum terra fretum, terramq; levabit Lucan. l. 1. phars.
Aer, & longi volvent Titana labores,
Noxq; diem cœlo totidem per signa sequetur,
Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit. Etenim *nullum animal alteri ita conciliatum est, ut suæ utilitati; cui quidquid obstare videtur, sive frater sit, sive pater, sive filius, sive amasius, sive amator, odit, aversatur, execratur. Ita enim naturâ comparatum est, ut nihil perinde amet, atq; utilitatem suam: hæc frater est, & cognatus, & patria, & Deus.* Sic *inter canes cibi nulla est Societas, ut persæpè de osse inter se sic lacerent, ac distrahant, quemadmodum de Helenâ Paris & Menelaus. Non aliquando vidisti abblandientes invicem, & inter se colludentes, ut dicas nihil illis esse amantius? Sed ut videas quis iste sit amor, carnem illis obiicito, cognosces. Eteocles & Polynices nonne eadem matre, eodemq; patre, nati erant? non unà educati, coniuncti? non compotarant? non unà dormierant sæpe? non inter se deosculati erant? Adeò ut dubio procul, si quis eos vidisset, portenta philosophorum, quæ de amicitiâ dixerunt, derisisset. Tamen, cum imperium, tanquam caro, in medium incidisset, vide quid dicant.* Arrian. lib. 2. in Epist. c. 22. Æ. lian. lib. 7. de animal. c. 19. Arrian. Ibid.

XXXVI.

UNICUS.

Ce grand monde qui n'a qu'vn Soleil pour chandelle
Qu'vn ame ce petit, teſmoigne euidemment,
Qu'en matiere d'eſtat n'y a gouuernement,
Que celuy que de nom Monarchie on appelle.

Natura commenta est regem. Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus. Ita Alexander Dario, volenti Asiam ex æquo dividere, respondit: *neq; terram duos soles, neq; Asiam duos reges tolerare*: cui consonant illa Lydi cuiusdam, Crœso, fratrem in imperii consortium assumenti, dicta: *Omnium*, inquit, *in terra bonorum, ô Rex, author est Sol, neq; quidquam extaret in terrâ Sole non illustrante. At si gemini soles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia pessum irent. Ita & regem unum quidem accipiunt Lydi, & servatorem esse credunt: duos verò simul tolerare non possent. Monarchiam igitur & iucundiorem esse, & leniorem, & æquiorem, etsi pluribus ostendi possit: ex his tamen etiam facilè intelligi potest, quod facilius est, unum amare, quam multos*, adeoque *unius viri iudicio & voluntati satisfacere, quam id dare operam, ut multis & variis ingeniis placeas. Ad hæc Democratici, & Oligarchici, ambitiosis inter se dissensionibus reip. nocent: Monarchæ verò, ut qui neminem habeant, cui inviideant, de rebus omnibus id statuunt, quod utilissimum est. Illi præterea, dum alii alios intuentur, multa negligunt, hi verò, cum sciant à se omnia perfici oportere, diligenter de singulis cogitant, noctu & interdiu negotiis intenti, nullas occasiones negligunt, Et quod omnium maximum est, alteri rempubl. ut suam, alteri ut alienam, curant. Facilius etiam unus quispiam vir bonus, quam multi, reperitur, quando virtuosos esse multos, consentaneum non est.* Sed & *fidem facere possunt res gesta Græcorum, barbarorum, & ipsorum etiam Romanorum. semper & præstantiora longè, & plura sub regibus, quam sub populari gubernatione cives beneficia adeptos fuisse; longeq; minus rerum adversarum sub unius, quam sub multitudinis imperio sustinuisse.* Quantum ad bellica, sententiam audiamus Græci exercitus, existimantis: *si ducem unum crearent, rectius ei die ac noctu pariturum exercitum, quam si multi cum imperio præessent: quod si quid esse clàm oporteret, eadem ratione facilius occultatum iri, ac si quid avertendum esset, minus occasiones negligi, nec enim hoc pacto requiri colloquia mutua, sed quod unus decrevisset, perfici:* apud Romanos certè, *duces tres, profecti Veios, documento fuere, quam plurium imperium bello inutile esset: dum tendendo ad sua quisq; consilia, cum aliud alii videretur, aperuerunt ad occasionem locum hosti.* Manet ergò Senatorium illud axioma: *Vnum corpus unius animo regendum esse.*

Senec. 1. de cle. 19. Cypr. tr. 4. de idol. vanit. Plut. Apoph. Stob. serm. 45. Isocr. in Nicocl. Plin. paneg. Isocr. d. l. Dio Cass. l. 44. Xenoph. li. 6. ἀναβάσ. Liv. lib. 4 c. 31. Tacit. 1. ann. 12.

IN CENTRO.



Vn Monarque prudent doit imiter l'araigne
Se tenir ſur ſa terre en gardant le milieu
Pour pouuoir d'autant mieux ſecourir chaſque lieu
Le vil hoſte des Rois ce bel art leur enſeigne.

Araneam Rex sapientissimus *inter quatuor minima terræ* annumerat, *sed quæ sapientiora sapientibus:* addit enim, eam *quasi manibus operari, & esse in palatiis regum.* Quod nullo alio fine natura produxisse videtur, quam ut *exemplar hoc magnis regibus ingens* esset. *Est enim illi mos exerere se in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere. Quapropter quæso, ne hæc legentes, quoniam ex his spernunt multa, etiam relata fastidio damnent, cum in contemplatione naturæ nihil posit videri supervacuum.* De isthoc itaque insecto Naturæ Duumviri sic scribunt: *Ad medium centri sedentes, insidias prædæ suæ tendunt.* Alter, *licet*, inquit, *extremâ hæreat plagâ, semper in medium currit; quia sic maximè totum contiendo implicat, scissa protinus reficit.* Similia quoque referuntur de apibus, *quarum regi amplissimum cubile est, mediogz ac tutissimo loco.* paulò aliter Calanum Gymnosophistam *referunt, exemplum imperii sui Alexandro ob oculos posuisse.* Corium *in medium coniecit siccum & retorridum, cuius oram calcavit. Id uno loco pressum cæteris partibus extulit se. Idem circulans undique, & pedibus stringens in quaq; parte ostendit evenire, quoad medium pedibus occupavit. tunc omnes partes quievere. Eâ imagine significavit, media regni maximè premenda, neq; procul ab iis vagandum Alexandro esse.* videlicet ne ipsi accideret, quod accidisse Fridrico I. Imp. sequentes ostendunt versus

Prov. 30. v. 24.
Ib. v. 28.
Senec. 1. de ira c. 19.
Plin. lib. 11. c 2.
Ælian. l. 6. c 57. de anim.
Plin. l. 11. c. 24.
Senec. d. c. 19.
Plut. Alex.

Sed quantum placidæ, firmatâ pace, quietis
Præstiterat nostro Regia præsentia regno,
Italicis tantum populis iniecerat absens
Cladis: & astrictos laxaverat ante furores.

Gunth. fine l. 5.

Ac idipsum erat cur Tiberius *neq; decorum principibus duceret, si una alterave civitas turbet, omissâ urbe, unde in omnia regimen longinqua imperii adire.* Sed & Pericles, *sicut Salaminiam triremem, dicit Critolaus, ad negotia se reservabat graviora, cætera per amicos transigebat & oratores, familiares suos.*

Tacit. 3 ann. 47.
Plut. Pericle.

XXXVIII.

RADIIS TAMEN OMNIA LUSTRAT.

La maiesté d'vn Roy est de grande estendue.
Renfermé dans vn coing de sa province il peut
En espardre les rais si loin si loin qu'il veut
Et faire qu'elle y soit d'vn chacun recognue.

Veri principis est, velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, & undecunq; invocatum statim veluti numen adesse & astare. Quæ tamen limitabimus cum Oratore: *nihil opus esse, Imperii præsidem totum imperium miserè pervagari, nec variis commeatibus singula stabilire, terram calcando, cum posit orbem totum commodissimè per Epistolas regere, quæ mox, ubi scriptæ sunt, velocissimè tanquam ab avibus deferuntur: quarum mandatis ac nutibus citius, quam digitum moveris, obtemperatur, & penè citius, quam mandatum quid fuerit, effectum datur.* Porrò sicut

medium non deserit unquam
Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat:

Ita multæ regis aures, multi esse oculi solent, & ubiq; proferre metuunt ea, quæ regi non expediant, tanquam si audiret ipsemet: & reformidant facere non conducentia regi, tanquam si præsens ipse adesset. Quanquam isthæc non de delatoribus, quod *genus hominum publico exitio repertum*, sed sobriè, & de legitimis administris, adeoque iis intelligenda *qui nuntiant quæcunq; regis interest in tempore cognosci:* Quales *inter Persas*, Apuleii verba dabo, *aures regiæ & Imperatoris oculi vocabantur, per quæ officiorum genera rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia quæ ubiq; gererentur, tanquam ubiq; præsens, alienis & oculis & auribus cognosceret.* Faciunt huc etiam illa, quæ Nicocles civibus suis proponens: *cuius*, inquit, *rei unusquisq; vestrûm sibi conscius fuerit, eam ne me quidem clàm fore existimet, nam etsi corpus meum præsens non fuerit, at mentem meam singulis actionibus adesse putet. Hoc enim animo si fueritis, modestiùs agetis omnia:* & ista quæ Diocletiano & Maximiniano dicuntur: *Vos tantæ reip. administratione susceptâ, quos huc atq; illuc tot urbes, tot castra, tot limites, tot circumiecta Romano imperio flumina, montes, litora, vocant, tantum animis ac fortunâ valetis, ut in unum convenire possitis, nihilominus orbe securo, neq; enim pars ulla terrarum maiestatis vestræ potentiâ caret, etiam cum ipsi abesse videamini, itaq; illud quod de Iove vestro cecinit poeta Romanus, Plena Iovis omnia esse, id unum ego de utroq; vestrûm audeo prædicare, ubicunq; sitis, in unum licet palatium concesseritis, divinitatem vestram ubiq; versari, omnes terras omniaq; maria plena esse vestri.*

Plin. paneg.

Aristid. paneg. urb Rom.

Claud. 6. cons. Honor.

Xenoph. lib. 8. Cyrop.

Tacit. 4. ann. 10.

Xenoph. ibid.

lib. de mundo.

Hocr. Nicocl.

Mamer. genethl. Maxim.

XXXIX.

OMNIBUS EXORIOR.

Jamais ſans ſa chaude influence
Phœbus ne ſe fait voir des cieux,
Prince, fais ſentir ta clemence
Par tout ou tu jettes les yeux.

Quemadmodum Sol non expectat preces & præstigias, ut exoriatur, sed ilicò fulget, ac salutatur ab omnibus: ita neq; tu expectaveris plausus, strepitus & laudes, ut benefacias, sed sponte confer beneficia, & æque ac Sol amaberis, ait Epictetus: quod secutus est Traianus, ad quem: *Tu simul*, inquit Panegyrista, *omnia profudisti; ut sol & dies, non parte aliquâ, sed statim totus, nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur. Quare sicut omnibus in hac vitâ positis ac locatis communis est cœli spiritus, lux diei: ita clementiam maximi principis sentiant vota & facta cunctorum. Cætera enim bona pro portione fortunæ suæ quisq; sentit aut expectat maiora minoraq;: ex clementiâ omnes idem sperant. Neminem rerum opifex ille reiicit, neminis obliviscitur, qui omnibus prospicit; nemo non eius curâ continetur, qui curam omnium gerit. Gratuitos habemus deos: si deos imitaris da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol oritur: & servare proprium est excellentis fortunæ: quæ nunquam magis suspici debet, quam cum illi contingit idem posse, quod diis, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni, quam mali. Deorum itaq; sibi animum asserens princeps, alios ex civibus suis, quia utiles boniq; sunt, libens videat, alios in numerum relinquat, quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur*, tanquam *in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuiq; partem, etiam ad calamitosos pro portione, improbandos & emendandos, bonitatem suam permittens: tradetq; se totum reipubl. totamq; eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt seditionem atq; discordiam.* Et ita typus sit boni Principis Sol oriens, cujus repræsentandi rationem, quippe *à lævo latere in dextrum ambientis*, cum à naturâ sumsi, tum à veteri Romanorum augurum disciplinâ, qui *in meridiem, quam sedem æstimabant Deorum, obversi, à sinistrâ partes mundi exorientes, à dextrâ occidentes habebant.*

Stob. serm. 44.

Plin. paneg.

Symmach. l. 9. Ep. 1.

Senec. 1. clem. 1.

Manuel. Imp. orat. 6.

Senec. 4. benef. 25.

Id. 1. clem. 5.

Id. 2. clem. 6.

Cic. 1. off.

Ib. paulò ante.

Plin. l. 2. c. 47.

Scalig. in cōiect. Meurs. in auct. at. philolog.

XL.

SUCCESSORE NOSCAR.

Nous priſons la vertu mais c'eſt apres qu'icelle
Se voyant meſpriſée à quitté ces bas lieux
Pourtant voit on ſouuent qu'vn Prince vicieux
Rend de ſon preceſſeur la louange plus belle.

Præsentia semper sunt subditis molesta. contrà *ut esse Phœbi dulcius lumen solet* Thucyd. lib. 1. Senec. Troade.

Iam iam cadentis: ita *natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est. Iniquiores sumus adversus relicta, ereptorum desiderio.* Hinc Asinium Gallum Pollionis oratoris maximi filium, & *ipsum magnum oratorem*, legimus: *nisi illum (quod semper evenit) magnitudo patris non produceret, sed obrueret.* Sic *porro Periclis citò Athenienſibus ſenſum & deſiderium negotia præbuére, quippe qui vivi offendebantur quaſi luminibus ipſorum officiente potentiâ, ilicò eo ſublato, cum alios libarent oratores & duces, palàm tulerunt, moderatius in ſeveritate, vel gravius in manſuetudine nullum viſum ingenium: atq; invidendam illam potentiam, quæ tyrannis ante fuit appellata, tunc ſalutarem reipubl. apparuit arcem fuiſſe.* quamobrem, *oneraſti futuros principes*, inquit optimi principis laudator facundiſſimus, *ſed & poſteros noſtros. nam & hi à principibus ſuis exigent, ut eadem audire mereantur, & illi quod non audiant, indignabuntur.* Hinc facillimè colligitur, quam ſit *oneroſum, bono principi ſuccedere*, quem diſſimilis aliquis ſucceſſor ipsâ plerumque comparatione multò commendatiorem efficit, veluti nox inſecuta ſolem, utor allegoriâ cuiusdam adeſpoti verſus de bono boni regis ſucceſſore: Senec. c. 16. ad Marciam. Id. procœm. lib. 4. controv. Plut. in Pericl. Plin. paneg. Ibid.

Mira cano: Sol occubuit, nox nulla ſecuta eſt.

Exemplo ſit Artaxerxes ab obitu *clemens habitus & popularium amans præcipuè ob filium Ochum, qui ſævitiâ & atrocitate omnes ſuperavit. Apud Syracuſanos, vix ullo bono, moderatoq; regi, facilis erat favor ſuccedendi tantâ caritate Hieronis:* quamvis *eius nepos Hieronymus, velut ſuis vitiis deſiderabilem redderе vellet avum, primo ſtatim conſpectu omnia, quam diſparia eſſent, oſtendit. nam qui per tot annos Hieronem filiumq; eius Gelonem, nec veſtis habitu, nec alio ullo inſigni differentes à cæteris civibus vidiſſent', 'conſpexere purpuram, ac diadema, ac ſatellites armatos &c.* Nec tamen ideo bonus princeps imitandum ſibi cenſeat illud, quod in Auguſto taxabant Romani, ipſum nempe, *quoniam arrogantiam ſævitiamq; Tiberii introſpexerit, comparatione deterrimâ ſibi gloriam quæſiviſſe, nec caritate aut reip. curâ ſucceſſorem iſtum aſcitum, ſed ambitione, ut tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoq; fieret.* Multo melius Nerva, quem ſic alloquemur Plinii verbis: *Cum à malo principe tanquam ſucceſſor timeatur quisquis eſt dignior; non alio magis approbatur animi tui magnitudo, quam quod optimus ipſe, non timuiſti eligere meliorem, eo ipſo carus omnibus ac deſiderandus, quod proſpexeras, ne deſiderareris.* Liv. lib. 24. c. 5. Plut. Artax. Tacit. 1. ann. c. 10. Sueton. Tib. c. 21. Paneg. Ibid.

XLI.

ACCEPTUM COMMUNI.

CAT. ORBI.

Second honneur des cieux enſeigne icy le prince ;
Que lors qu'au Monde rends ce luſtre & clair & beau
Lequel tiens à profit du fraternel flambeau,
Qu'il a de Dieu des biés pour ſon peuple & province.

Luna tantùm ex se terris ostendit, quantum ex sole ipsa concipit luminis: Plin. l. 2. c. 8.
ita debemus, quæ à Deo accepimus, *ad beneficentiam liberalitatemq; conferre: nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus; modus adhibeatur. Temeritate enim remotâ, gratissima est liberalitas, eoq; eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusq; bonitas commune perfugium est omnium. Quid autem non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet, luna innumerabilibus comitata sideribus etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant. Adeoq; omnes fructus rerum natura hominum gratia comparavit, ut communem degerent vitam, non ut rabida & furens avaritia sibi omnia vindicaret, nec ulli deesset, quod omnibus nasceretur.* Itaque *si honore, qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem. nihil enim adeò attrahit ad benevolentiam, ut beneficii gratia, quæ datur indigentibus.* Quod in omni vitâ sermoneque præ se ferens Exemplar illud veri principis, Cyrus: *Ego*, inquit, *& Dis inservio, & plura semper appeto; verum ubi opes comparavi, quas usum mihi sufficientem excedere video, his ipsis amicorum penuria medeor, & homines ditando, ac beneficiis afficiendo, benevolentiam ex eis amoremq; mihi paro: de quibus & securitatis & gloriæ fructum capio.* Atque sic demum

Cic. 1. offic.
Id. 2. offic.
Ibid.
Plinius in fac.
l. 28. ff. de usuris.
Lactant. de iustit. c. 5.
Agap. præcept. ad Iustin. Imp.
Xenoph. lib. 6. Cyropæd.

Divitiæ latè potentes sunt
Cum quis virtute temperatas
Purâ mortalis vir,
Fortunâ tradente eas,
Fecerit multorum amicorum conciliatrices comites.

Pind. Pyth. 4.

Verè dicuntur hæc omnia, *sed verius quis dixerit, Principes ministros esse Dei, ad curam ac salutem hominum, uti bona quæ Deus illis largitur, partim distribuant, partim servent. Itaq; Imperatori propriam munificentiam benè æstimanti, non tam illud videri suum debet, quod abstulit, quam quod dedit. nam cum inter ipsum volvantur omnia, & ut ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris; ita quidquid in cives manat à Principe, redundat in Principem, & rei & famæ benè consulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversuram.* Contrà *sciat naturæ legem esse, ut cum magnus ex corporis calamitate splen creverit, quandiu resistit totum corpus, bene habitus ut sit & pinguescat, morienti tamen corpori ut commoriatur.*

Plut. de doctr. princip.
Latin. Pacat pan. ad Theodos.
Synesius Epist. 69.

XLII.

NISI INFUNDAS OLEUM.

Ta lampe d'huile emplis, ſi veux qu'elle t'eſclaire;
Veux tu eſtre ſervi, ſois en reconnoiſſant
De ton ſervant loyal le ſoin recompenſant,
Eu eſgard que l'ouurier digne eſt de ſon ſalaire.

Perhibent Anaxagoram ætate decrepitâ neglectum, occupato Pericle, iacuisse, atq; obvoluto capite vitam finire inedia statuisse: Periclem eâ re ad se delatâ perculsum, advolasse confestim ad illum, & enixè orasse, lamentasseq; non illum, sed seipsum, qui talem in republ. gerendâ consiliarium amitteret: ibi Anaxagoram aperto capite ei dixisse: Etiam ii, quibus lucernâ, Pericle, opus est, infundunt oleum. Plut in Pericl.

Et certè *sumtu publico levanda est* (sicut ad Aurelianum scribit Valerianus) *paupertas eorum hominum, qui diu reipubl. viventes, pauperes sunt, & nullorum malis.* Vopisc. in Aurel.

Ita, Nerone tertium consule, simul iniit consulatum Valerius Messala, cuius proavum oratorem Corvinum, Divo Augusto abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant. Sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Tac. 13. ann. c. 34.

Ergò bene monens Imperatorem suum Paræneticus: *Deus*, inquit, *nullâ re indiget, Imperator solo Deo, imitare igitur nullius indigum, petentibusq; fac uberem misericordiæ copiam, non exactâ & ad vivum rem resecante ratione impensarum tuum ergà famulatum utens, sed omnium de sustinendâ vitâ petitionibus satisfaciens: longè enim satius est, merito dignorum etiam indignis misereri, quam indignorum vitio dignos iis defraudare, quæ merentur.* Agapet. ad Iust.

Si qui negligunt ista, malentes ephemeridibus suis illud inserere Cratetis, *Assentatori talenta quinque, consiliario fumum; non illis absimilis sunt, qui lucernæ, ut ardeat, lychnum emungunt, cæterum olei nihil omninò infundunt:* Laert. in vitâ Crat. Plut. in Polit.

sed & nonnunquam idem audire coguntur, quod Severus Imp. cuius Centurionem captum raso capite remittens *Bulas, nuncia*, inquit, *Dominis tuis ut ipsi servos alant, ne latrocinentur.* Xiphilin. in vitâ Severi.

Adeò plerunque

Non sibi, sed Domino gravis est, quæ servit egestas. Lucan l. 3. phar.

Expertus hoc Justinianus Imp, ingenuè, *qui vetere*, inquit, *formâ præfuerunt provinciis, modica admodum ferentes è publico, plurima dantes, rapere cogebantur, & unum hoc habere studio, ut, undiq; ipsis imminentibus creditoribus, occasione pro officio datorum nonnihil gratiæ referrent & beneficii: quibus rebus nostros consueverunt auctionari subditos, impios iuxtà & periculosos sibi reditus conquirentes.* Novell. 28. c. 4. §. 1.

Ab hoc periculo longè aberat Cyrus ille minor, qui, *si quis ipso mandante egregiè imperata fecisset, hanc ipsam animi promptitudinem nequaquam præmio carere patiebatur, quapropter in ἀναβασ. rebus omnibus habuisse administros longè præstantissimos perhibetur.* Xenoph. lib. 1.

XLIII.

SALUS TANTILLO PUBLICA CONSTAT.

Ce ne ſont touſiours ceux qui aiment la deſpence
Leſquels font au public plus de bien & prouſit.
Mais pluſtoſt qui ce feu, auquel fort peu ſuffit
Sauuant tant de baſteaux, imitent par prudence.

EST Pharos colonia Cæsaris, ex quâ facibus accensis nocturna dirigitur navigatio. Nam Alexandria insidioso accessu aditur. Hinc igitur in portibus machinas ad prælucendi ministerium fabricatas pharos dicunt. Quemadmodum ergò faces in portu sublata magnâ flammâ in paucis cremiis excitatâ, navibus per mare errabundis multum auxilii ferunt: sic & vir egregius in urbe periclitante paucis rebus contentus, magnis beneficiis cives afficit. Ita nimirum oportet privatis utilitatibus publicas anteferre, multoq; diligentius muneri suo consulere, quam facultatibus: Exemplo Periclis, qui cum urbem, quam magnam acceperat, maximam reddidisset, atq; opulentissimam, nec uno nummo fortunas suas reddidit ampliores: neq; Aristides iustus, & Epaminondas Deus, Lycurgus autem servator appellati sunt, divitiis abundantes: sed quia tenui fortunâ contenti, Græciam à servitute in libertatem asseruerunt. Omni Macedonum Gazâ potitus est Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversâ. Nullum igitur vitium est tetrius, quam avaritia, præsertim in principibus & rempubl. gubernantibus. Habere enim quæstui remp. non modò turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium. & cui collectio pecuniarum inprimis est curæ, omnia cupiditati diteſcendi postponit: quod equidem infinitorum malorum originem esse arbitror. Sumtuositas enim incontinentiæ parens est, incontinentia contumeliæ: unde pleraq; hominum mala nascuntur. Virtus autem quæ suis rebus contentos facit, sumtuositatem, & quæ sequuntur eam, haudquaquam probat. Sed cum ipsa princeps quadam sit, præest quidem omnibus, subesse verò nulli potest: quod primum Dei, deinde regis proprium est, ut nulli subiiciantur, sibi verò ipsis imperent, unde & αὐτάρκης apud Græcos dictus videtur, τὸ ἐκυτῷ ἀρκεῖν.

Solin. c. 31.

Epict. apud Stob. serm. 48.

Plin. l. 6. Ep. 18.

Plut. in Pericl.

Stob. serm. 3.

Cic. 2. off.

Manuel. Imp. or. 4.

Stob. serm. 46.

Discitur hinc quantum paupertas sobria possit.
Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum spernere aurum.

Claud. 4. cons. Hon.

Est enim compendium ad remp. tractandam magnum, non opulentia, sed rebus contentum esse suis: quæ virtus quod nullam rem superfluam privatim requirat, haud abducit mentem à republ. itaque non pudebit Imperatorem cuncta bona in animi cultu ponentem profiteri cum Juliano Imp. paupertatem honestam: cum Agesilao verò (ad illum qui vestis eius cibiq; mediocritatem mirabatur) dicere: propter hunc frugalem, ô hospes, vivendi modum metimus libertatem.

Plut. Cat. Mai.

Amm. Marc. lib. 24

Plut. apoph. Lacon.

XLIV.

TEMPESTATE PROBATUR.

Ce n'eſt pas en bonaſſe & ſous un calme vent
D'vn aduiſé nocher que ſe fait voir l'adreſſe,
Ainſi en temps contraire & plus grande deſtreſſe
Que peut vn bon eſprit paroiſt euidemment.

Hæc ego Martis (inquit Jupiter sub bellum Punicum) *Mole viros spectare paro atq; expendere bello.* Sil. It. lib. 3. *Quod tempus populo Rom. nescio utrum clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. Ea certè fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem, scire volentibus Diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Hos etenim Deus quos probat, quos amat, recognoscit, exercet: eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Nunquam virtutis mollè documentum est, eius magnitudo calamitatibus approbatur. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelliges. Nec enim Gubernatoris artem tranquillum mare, & sequens ventus ostendit. Adversi aliquid incurrat oportet.* Flor. l. 1. c. 13. Senec. e. 4. de provid. Ibid. Flor. 2. 2. Senec. d. c. 4. Id. c. 6. ad Marci. Nam sicut *quilibet nautarum vectorumq; tranquillo mari gubernare potest: ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus est:* ita *quieta regere & ex usu administrare provincias, homines vel mediocris intelligentiæ possunt, sed hoc opus, hic labor est, illud magis regere, quod se relictum non potest continere.* Liv. l. 24. c. 8. Ad vivum hanc effigiem undiquaque expressit Vates: *Ceu flumine molli*

Tranquillúq; fretis, clavum sibi quisq; regendum
Vendicat, incumbat si turbidus auster, & unda
Pulset utrumq; latus, posito certamine nauta
Contenti meliore manu, sesèq; pavere
Confessi, finem studiis fecere procellæ.
Haud aliter Stilico, fremuit cum Thracia belli
Tempestas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor: suffragia quippe peregit
Iudex vera timor, victus ratione salutis
Ambitus, & pulsus iacuit formidine livor.

Claud. fine laudis Serenæ.

Atque rationibus his videtur attendisse Senator Græcus, cum scriberet: *Ad portum si, navigaturus aliquò, averis, gubernatorem tibi credo eliges, non qui tempestatem nullam, nullos unquam vidit fluctus, sed qui multis ex periculis, longáq; malorum experientiâ, paulatim sibi comparavit artem. Ego Imperatori diffido, qui nunquam malè rem gessit.* Max. Tyrius dis. 35.

XLV.

TUNC VITIUM APPARET.

Si l'action ne ſuit, vaine eſt noſtre puiſſance ;
Ainſi donc que du vaſe, eſtant bien rempli d'eau,
Nous voyons par effect la bonté ou defaut,
En charge l'homme auſſi monſtre ſa ſuffiſance.

LEmma Plinianum *(tunc verissimè iudicari, meruerit quis honorem nec ne, cum adeptus est,)* confirmatur his verbis à Sophocle: Plin. paneg.

Fieri haud potest cuiuspiam ut pernoveris Stob. ser. 43.
Animum, atq; mentem, sive sensum, ni prius
Imperia nactus gesserit civilia. Nam divitiæ, *& potentiæ,* Quintil. l. 3. c. 9.
& gratiæ, cum plurimum virium dent in utramq; partem, certissimum faciunt morum experimentum. aut enim meliores propter hæc aut peiores sumus. Etenim quemadmodum in vasis inanibus non queas dignoscere integra sint an vitiosa, verum ubi infuderis aliquid, tum apparet quà perstillent: sic animi putres non ferentes potentiam, effluunt cupiditatibus, nempè iracundiâ, fastu, insolentiâ, unde ferè contingit illud Plutar. de doctr. princip.

Æsperius nihil est humili, cum surgit in altum, Claud. l. 1. in Ruff.
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,
Vt se posse putent. Rationem affert poëta non contemnendus:

Nam quod summa probos mutare potentia mores Gunth. lib. 2.
Dicitur, ex aliâ sumtum magis æstimo causâ,
Si quis fortè sibi perversæ conscius artis
Ingeniiq; mali, tacitus captator honoris,
Tempore dissimulat: cum, quod cupiebat, adeptus,
In vitium moresq; redit, mutasse videntur,
Immeritiq; hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit & inquinat usu.
At cuicunq; bonum & nullo violabile casu
Ingenium natura dedit, si lætus honorem
Forte tulit, quo dignus erat, tunc tempore rapto
Illa latens probitas virtutum germina prodit. Qualis fuit Vespasianus qui *solus omnium ante se principum* Rom. *in melius mutatus est:* & Traianus: qui *quotidie admirabilior & melior* evadebat: *talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur.* Aliam huic rei rationem assignat Philosophorum princeps: *Pleriq; in suis quidem rebus,* (inquit,) *uti virtute possunt, in iis autem quas cum altero contraxerunt, non possunt. Quocirca præclarè Biantis illud videtur esse dictum: Magistratus virum declarabit. Nam qui magistratum gerit, is iam cum altero rationem habet, & in communione vitæ versatur.* Ita Galba *maior privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.* Tacit. l. 1. hist. c. 50. Plin. paneg. Arist. lib. 5. Eth. c. 1. Tacit. l. 1. hist. 49.

XLVI.

TANTO CONSPECTIUS.

Comme on voit de ce mont le feu eſpouuantable
Se ietter plus au loing: ainſi la Royauté
Rend de celuy qu'elle a ſi hautement monté
Les vices & vertus d'aultant plus remarquables.

HAbetur apud Xenophontem, *labores eosdem similibus corporibus Imperatoris, ac gregarii militis, æquè graves non esse, quod ipse bonos labores leviores faciat Imperatori, & quod intelligat, in oculis omnium esse, quidquid ipse faciat.* lib. 1. Cyropæd. *Habet enim hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum patiatur, principum non modò domos, sed cubicula quoq; intimosq; recessus recludat, omniaq; arcana noscenda famæ explicet: quando præsertim eorum non modò singula verba, nec res tantum publicitus gestæ animadverti notariq; solent, sed virtus quoq;, ioci simul, & seria quæq;, domus, ipsa familia, uxor, cubile, curiosius conquiruntur.* Plin. paneg. Plutarch. polit. *Quid agas, quemadmodum cenes, quemadmodum dormias, quæritur, scitur: eò tibi diligentius vivendum est.* Senec. Ep. 43. Contrà *qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundiâ deliquêre, pauci sciunt: fama atq; fortuna eorum pares sunt. Qui magno imperio prædicti in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novêre, ita in maximâ fortunâ minima licentia est. neq; studere neq; odisse, sed minimè irasci decet: quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atq; crudelitas appellatur.* Sallust. Catilin. Quamobrem ut *Vesuvii montis incendia penè mundo datum est posse cognoscere,* sic Cassiod. lib. 4. Ep 50.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur. Iuuen. sat. 8.

Quemadmodum enim indignius ferri, maioriq; haberi solent dedecori, verrucæ, ficusve in facie, quam nævi atq; mutilationes in reliquo corpore: sic etiam ob eam, quæ plerosq; omnes de principatu atq; civilibus magistratibus tenet, opinionem, utpote de re magnâ, atq; dignissimâ, quæ omni facinore atq; temeritate vacare debeat, minima quæq; principum & rempub. administrantium errata notantur, & pro magnis habentur. Cimoni vinum obiiciebatur, Scipioni somnus, Lucullus ob cœnas sumtuosiores malè audiit: & ideò nullis magis cavendum est, qualem famam habeant, quam qui qualemcunq; meruerint, magnam habituri sunt. Quemadmodum enim Domini crudeles tota civitate commonstrantur, invisiq; & detestabiles sunt: ita Regum infamia & iniuria latius patet, atq; odium seculis traditur. Plutarch. polit. Id. lib. de doctr. princ. Senec. 1. clem. 8. Ibid. c 18.

.XLVII.

CLARO SESE DEFORMAT AMICTU.

Fille aueugle du ſort roulant à l'auanture
Fais aux Roys ſ'il te plaiſt les eſclaues eſgaux
Si eſt-il que touſiours le mortier ſent les aux,
Et le ſinge enſceptré ne change de nature.

ASsumpsimus hoc ex Claudiano, cuius hi sunt versus in Eutropium; lib. 1.

Quam pulcrè conspectus erat, cum tenderet artus
Exangues onerare togâ, cinctúq; gravatus?
Inductóq; senex obscœnior iret in auro:
Humani qualis simulator simius oris,
Quem puer arridens, pretioso stamine Serum
Velavit, nudaq; nates ac terga reliquit,
Ludibrium mensis erecto pectore dives
Ambulat, & claro sese deformat amictu.

Nempe *scitum est illud Heraclíti: speciosissimam simiarum deformem esse, cum alio genere animalium comparatam*: Hinc elucidatur diverbium illud: *Simia simia est, etiamsi aurea gestet insignia*, quod alioqui variam admittit interpretationem: *ut si quispiam Rex factus fuerit, potest, cui velit, dare præfecturam, & hanc solam ei potest dare dignitatem, sed non eum reddere aptum, & idoneum ad gerendum magistratum. Sæpe autem eum etiam ridiculum facit honor.* cui consequenter Boëthius: *Videsne*, interrogat *quantum dedecus malis adiiciant dignitates? Atqui minus eorum patebit indignitas, si nullis honoribus inclarescant.* Sed & huc adduci debent vani isti, qui *ex vestitu, ex habitu, gestuq; corporis, & consimilibus aliis ornatum sibi quarunt, suasq; res secundas omnibus notas & manifestas esse volunt, & de se ipsi prædicant: quasi ex his honorem consecuturi. Tum quasi digni sint, res amplas & honoratas conantur ac suscipiunt: deinde seipsi, quales sint, indicant, & ab aliis coarguuntur.* Etenim (ut nobis largiatur etiam aliquid de suo Comicus)

Plato Hipp. mai.
Lucian. in orat. contr. inerudit.
Chrysost. homil. 2. ad Colossenses.
lib. 3. de consol. philos. prof. 4.
Arist. 4. Ethic. 9.

Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.

Plaut. Mostell. act. 1. sc. 3.

Conveniet huc quoque Lyricum illud:

Licet superbus ambules pecuniâ,
Fortuna non mutat genus.

Horat. Epod. 4.

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota Regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris &c.

Senec. Thyest.

XLVIII.

NITITUR HIS REGNUM.

Ce ſont les deux pilliers qui ſouſtiennent le monde,
Aſçauoir du meſchant le ſupplice & du bon
Le deu honneur, qu'attend vertu pour ſon guerdon:
Sur eux ce tout & tout ce qu'il contient ſe fonde.

Regni columnæ binæ pœna & præmium: quibus solis & principatus, & respubl. & universa hominum vita sustinetur. nam apud quos nullum inter ista discrimen agnoscitur, aut agnoscitur quidem, verum ea pars malè administratur, apud hos nulla res ratione rectâ potest gubernari. Vbi enim boni malique eodem loco sunt, quid recti esse queat? E diverso *Solon illam civitatem optimè habitari dixit, in quâ viros bonos honoribus affici: contrà autem improbos pœnis, mos fuerit.* Idem voluit Orator Græcus his verbis: *Duæ res eruditæ civitates, scelerum pœnæ, & iustitiæ præmia: quia & metus cohercet homines, ne, si obsequantur pravis cupiditatibus, accersant sibi exitium; & gloria ad rectè faciendum incitat. Sed malitia quoniam partim medicabilis est, partim curari non potest, virgæ, quod mutari potest, corrigunt, secures autem, quod emendari non potest, abscindunt.* quo sic alludit Naso.

Vet. Iamb.
Polyb. l. 6.
Stob. serm. 41.
Lycurg. orat. contrà Leocrat.
Plutar. probl. cur prator. virgæ lecurib. alliga.

——— *immedicabile vulnus*
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Ovid. 1. metam.

Sicut enim in corpore, si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, id uri secarique patimur, ut membrum aliquod potius, quam totum corpus intereat, sic in reipubl. corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputetur. Interea legum præsidem civitatisque rectorem decet, quandiu potest, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: transeat deinde ad tristiorem orationem, quâ moveat adhuc & exprobret: novissimè ad pœnas, & has adhuc leves, & revocabiles, decurrat. Vltima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis interfit: & ut in pauca rem conferam

Cic. philip. 8.
Senec. l. 1. de irâ c. 5.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,

Ovid. 2. de pont. to El. 3.

ne idem ipsi obiiciatur, quod olim à militibus Druso, *præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse*; *nec pœnis potius malorum, quam bonorum præmiis, bonos faciat cives:* secutus hac in re *veram illam & non simulatam philosophiam, bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientem,* siquidem

Tac. 1 ann. 26. Plin. paneg. Ipian in l. 1. § 1. ff. de Inst. & Iure.

Egregios invitant præmia mores,
Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Claud. pan. 2. filiæ. Iuvenal. sat. 10.

XLIX.

GRADATIM.

Qui du premier degré veut monter au plus haut
Sans atteindre au milieu, ou tombe ou trop ſe charge;
Qui premier n'ayant eu l'inferieure charge
La grande veut, ſe donne à ſoy-meſme le ſaut.

Ne magnis ante parva potiri licet, neq; ante ea, quæ commoderata nobis sunt, ad maiora nobis penetrare. Nam qui maiora initio suscipit, facilè succumbit, & desperat: qui verò à minimis incipit, semel utiq; fit aliquanto robustior, fidentior & melior, quam ante fuit, uti iam & paria facilè superet & paulò maiora tutius aggrediatur. Simplic. in Epict. c. 7. Ita *verbi gratiâ, equitatui nemo præesse debet, nisi posteaquam magistro seu præfecto equitū paruerit, & dux exercitus esse, nisi postquam miles Imperatorem secutus sit &c.* c. 8. Arist. 3. Polit. 4. Nam *quisquis exercitui imperat, cum nunquam fuerit miles, is planè hecatomben hostibus educit.* Stob. serm. 52. Quale *Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, improvidus consilii, quis ordo agminis, qua cura explorandi, quantus urgendo trahendoq; bello modus, alios rogans, & ad omnes nuncios vultu quoq; & incessu trepidus, dein temulentus.* Tac. 3. hist. 56. Alio simili rem expedit ille, qui docet,

Remigem oportere ante esse aliquem, quam clavum in puppe tenere:
Ac postea demum proretam agere, atq; observare Aquilones,
Ac deinde gubernare ipsum seipso. Aristoph. Equitib. act. 1. sc. 3.

Quod planius ac plenius exaggerat ac dilatat Musæ Romanæ pullus:

Velut excitus lentandis navita tonsis
Præficitur lateri custos, hinc ardua prorę
Temperat, & fluctus tempestatesq; futuras
Edocet, assiduo cum Dorida vicerit usu,
Iam clavum totamq; subit torquere carinam:
Sic cum clara diu rerum documenta dedisses,
Non te parte sui, sed in omni corpore sumpsit
Imperium, cunctaq; dedit tellure regendos
Rectores. Claudian. paneg. ad Manlium Theod.

Atque hinc elucet vis illius Edicti, *ut gradatim honores deferantur, & à minoribus ad maiores perveniatur*, quæ ratio erat Fulvij & Curij Tribunorum plebis, *quod Flaminium consulatum ex quæsturâ petere non patiebantur; conquesti: iam ædilitatem præturamq; fastidiri, nec per honorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare*, supprimentes hac in re morem maiorum suorum, *quibus non, nisi post longam probatamq; militiam, peritissimus omnium legebatur, ut rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.* l. 11. pr. ff. de muner. & honor. Liv. l. 32, c. 7. Veget. l. 2. c. 10. Quod & in alijs ipsos facere sueviſſe, proclive fuerit ostendere versanti inter historicos; sed ad reliqua pergendum.

L.

OMNIUM METU.

Quand le ciel irrité ſon foudre nous desbonde
Bien peu en ſont attaints mais treſtous en ont peur,
Le ſupplice auſſi n'eſt que pour le transgreſſeur,
Qui donne par ſon mal exemple à tout le monde.

FVlmen terroris symbolum, iuxtà sensum illius distichi: Stob. serm. 46.

Cum feriant unum: non unum fulmina terrent;
Iunctaq; percusso turba pavere solet. Ovid lib. 3. de ponto Eleg 2.

Vt igitur fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu: sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent. nec sanè aliter debent, suadente Viro experientissimo, *Quod si fieri medicinam*, inquit, *necessitas extrema persuaserit, rectius est, more maiorum in auctores criminum vindicari, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat.* Nec aliud quæsierunt optimi quique principes nisi *ut unius pœna metus posset esse multorum.* Adeò non immeritò laudatur à Pelignensi Musâ Princeps, qui Senec lib. 1. clem. c. 8. Veget. l 3. c. 4. l. 1. C. ad L. Iul. repetund.

Multa metu pœnæ, pœnâ qui pauca coërcet,
Et iacit invitâ fulmina rara manu. Ovid. 1. Pont. 3.

& ab Historiographorum acutissimo *Blæsus, paucos ad terrorem cæterorum affici verberibus claudiq; carcere iubens.* Ex quibus omnibus facilimum est assequi mentem declamatoris, seu finem potius veteris consuetudinis, quam is complexus est his verbis: *quoties noxios crucifigimus, celeberrima eliguntur via, ubi plurimi commoveri hoc metu possint. Omnis pœna non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum.* quare etiam patet cur apud antiquos authores *exempla* & *pœnæ* pro Synonimis usurpata inveniantur, ad quam rem plurimas authoritates plurimi collegerunt Critici, quorum scrinia iam non compilo: sed ad id, unde deflexit oratio, revertor, & Imperatoriâ hac gemmâ præsentem Exegesin consigno, *ut paucorum hominum supplicio omnes reliquos continuè castiges, neq; enim inhumanitas hoc, sed potius summa quædam humanitas est, cum multi paucorum animadversione salvantur: neq; quisquam te ad crudeles pœnas aut acerba iudicia invocet, quibus civitas vastatur magis quam corrigitur, Non medicinam illud sed cladem* existimando. *Civitatis enim mores magis corrigit parcitas animadversionum*, ita ut prolixioribus ostendit Seneca meus. l. 1. de clem. c. 22. Tac. 1. ann. 49. Quintil. declam. 274. Novell. 30. c 11. in pr. Salust. or. 1. de ord. republ. Tac. 1. ann. 49.

LI.

PERAGIT TRANQUILLA POTESTAS.

La clemence d'vn Roy conduit tout aiſement
Le plus barbare peuple, & doucement le force,
Et mene ou bon luy ſemble; autrement par la force
Il n'en viendra iamais à ſon contentement.

NAturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atq; arduum nitens, sequiturq; facilius, quam ducitur, unde Senec. 1. ele. 24.

Violenta nemo imperia continuit diu, Sene. Troade.
Moderata durant.

Pax maiora decet, peragit tranquilla potestas Claudian. conſ. Manlii.
Quod violenta nequit, mandataq; fortius urget
Imperiosa quies: *Longeq; valentior amor ad obtinendum* Plin. l. 8. Ep. 24.
quod velis, quam timor. Nam qui per vim coacti sunt, ceu magnâ re privati, Stob ſerm. 41.
odio prosequuntur illos, qui coëgerunt: qui verò suadelâ inducti sunt, ceu cum gratia invitati amant. Quamobrem vim facere non est prudentiæ studiosorũ, sed qui robur sine mente possident, violentis gaudent facinoribus. Quin etiam sociis, qui vim inferre audet, non paucis indiget: pellens autem persuadendo, nullis eget, quippe vel solum se suadendi facultate voti compotem fore sperans. Eodem tendit pars illa illustris illustrium coniugum oariſmi: *Violentæ actiones* (inquit uxor Livia ad Augustum) *ut sint omninò iustissimæ,* Dio Caſſ. l. 55. *irritant, mansuetæ placant, ideoq; facilius persuadendo quispiam quam cogendo eò adducitur, ut vel gravissima subeat. Quod adeo est naturâ comparatum, ut brutorum quoq; animantium multa robustissima alioquin, & ferissima, blandiendo cicurentur, inescandoq; perdomentur: alia timidissima atq; imbellissima malè habita ac territa, ad iram concitentur. Quod enim tantum carmen Orpheo & Amphioni, quæ tanta plectro fidibusq; dulcedo, quam secuta* Eumen. pro reſtaur. ſchol. ad Dioclet. & Maxim. *quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subvecta modulis, & ad intervalla carminum resistentia, sponte murum velut arte construerent? quanta in Imperatorum literis inest ad omnes animorum impetus effectusq; rerum ciendos vis atq; permotio, qui quod iubere possint, suadere dignantur.* Itaque Plato *hoc* Cic. 2. de LL. *quoq; legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere,* respiciens vid. ad hanc *regnandi artem, quæ humanitas & subditorum moderatio est.* Quocircà *sic statuo, perfecti oratoris moderatione & sapientiâ* Ælian. l. 5. anim c. 10. *universa reip. salutem maximè contineri:* qualis erat Cineas ille, qui *cum* Cic. l. 1. Orat. *ad civitates mitteretur, suffragabatur Euripidis dicto: Omne id expugnare verba compta, ferrum quod minax possit. Pyrrhus certè profitebatur urbes plures* Plutar. in pyrrho. *per Cineam oratione, quàm armis ab se subactas. Quamobrem clarè patet, ab Eloquentiæ vi tum persuasionem, tum opinionem bonam bonorum subditorum* Manuel. Imp. orat. 1. ad fil. *de bonis principibus proficisci: atq; hanc & auro & magno exercitu, principibus usu suo longè præstare.*

LII.

SOLO MUNITUS AMORE.

Rien n'esgale en malheur la haine
D'vn peuple armé contre son Roy.
Pour ta garde la plus certaine
De l'amour de tiens arme toy.

HAbuit Alcibiades *Clypeum, in quo non assueta Athenienſibus inſignia, ſed Cupido fulmen tenens erat ſculptus: quod graviter ferebant principes* civitatis ac peſſimè interpretabantur: nos longè melius; ut nempe Dux Bonus non *inutile quærat Ferri præſidium*, ſed ſit *ſolo munitus amore* ſuorum. *Rerum enim omnium nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. Præclarè enim Ennius: quem metuunt, oderunt, quem quiq; odit, periſſe expetit. Multorum autem odiis nullas opes poſſe reſiſtere, ſi anteà fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Ecquid ergò diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe cuſtodiam principis ipſius innocentiam?* Sed & *à Cyro, qui ſubditorum benevolentiam & præſidii loco, & Theſaurorum, & quarumvis rerum, quibus incolumitas & proſperitas regia continetur, animi magnitudine comparaverat. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Fruſtrà ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit, armis enim arma irritantur: & inviſo ſemel principe ſeu benè ſeu malè facta premunt*, tum quoq;

Plut. in Alcib.

Claud. pan. 3. Stilic. Cic. lib. 2. offic.

Plin. paneg. ad Traian.

Manuel. Imp. or. 1.

Plin. Ibid.

Tac. 1. hiſt. 7.

Neceſſe eſt, multos timeat, quem multi timent. At verò *Qui vult amari, languidâ regnet manet. Salvum regem in aperto clementia præſtabit. Quid pulcrius eſt quam vivere optantibus cunctis? ſi paulum valetudo titubavit, non ſpem hominum excitari, ſed metum? Nihil eſſe cuiquam tam pretioſum, quod non ſalute præſidis ſui commutatum velit? Omne quod illi contingit, ſibi quoq; evenire deputet? in hoc aſſiduis bonitatis argumentis probavit, non Remp. ſuam eſſe, ſed ſe Reipubl. Quis huic audeat ſtruere aliquod periculum? quis ab hoc non, ſi poſſit, fortunam quoq; avertere velit, ſub quo iuſtitia, pax, pudicitia, ſecuritas, dignitas florent, ſub quo opulenta civitas copiâ bonorum omnium abundat.* Et hoc eſt quod Traianus Imp. ad amicum intimum, *Cum propoſitum meum*, inquit, *optimè noſſes, non ex metu nec terrore hominum aut criminibus maieſtatis reverentiam nomini meo acquiri*, unà cum Getulico *mirum amorem aſſecutus, effuſæ clementia, modicus ſeveritate.* quod benè additur: nam *ita probanda eſt illa, ut adhibeatur reip. cauſa* iſthæc etiam: *ſine quâ adminiſtrari civitas non poteſt*: Certè *qua nunc à quibusdam benignitas nominatur, vitam omnem remiſit ad improbitatem*: *Nullus enim iniuriam faciens pœnam luit.* Extollendus & amandus ille, quisquis illud *Tullianum advertens, quod ſalutaris rigor vincit inanem ſpeciem clementiæ*, utrobiq; modum adhibere ſtudet.

Laberius ap. Senec. lib. 2. de irâ c. 10.

Sene. Oedip.

Senec. 1. cle. 19.

Plin. l. 10. Ep. 86.

Tac. 6. ann. 30.

Cic. 1. off.

Stob. ſerm. 44.

Amm. Marcell. lib. 29.

LIII.

Stat. lib. 3. Theb.

VULTU NON EXATIANTUR AMATO.

Quand j'ay de ceſte fleur l'eſtroitte ſympathie
Contemplé, dire puis que la veüe du Roy
D'vn peuple eſt le ſoulas, que ne point voir ſon Roy
Eſtime que ce ſoit extreme Barbarie.

Heliotropii miraculum memoratu dignissimum, *cum sole se circumagentis, etiam nubilo die: tantus sideris amor est.* Noctu *velut desiderio contrahi cæruleum florem.* Non aliter subditi *sueti adversum fortuita adspectu principis refoveri.* quò vergunt ea, quæ Stiliconi poëta diversis locis accinit: Plin. l. 21. c. 21. Tac. 15. ann. 36.

——— *avidi quocunq; decorus*
Conspiciare loco, nomenq; ad sidera tollunt,
Nec vaga dulcedo satiantur lumina vultu.
Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non fessis optantur flumina nautis,
Vt tuus aspectus populo. Et alius Augustum absentem revocans inquit: Caud. 3. pan. Stilicon.

Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ:
Instar veris enim, vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent. Quandoquidem enim Horat. l. 4. od. 5.

Non sunt sui, sed subditorum, principes, iam verò *suam cuiq; rem esse charissimam,* norimus omnes domi nostræ, *tutores status publici non est mirum, amari ultrà privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur, ut is quoq; charior sit, in quem se Respubl. convertit:* eoque magis, si etiam *sermone sit affabilis, accessuq; facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis, aquis desideriis propensus, & iniquis acerbus: talis enim à totâ civitate amatur, defenditur, colitur: talis imperii dignitatem conciliat sibi intuitu, rationando, cogitando, moribus ingenii, actionibus, deniq; motu gestuq; corporis: ita ut qui eius virtutes respiciunt, reverentiâ & temperantiâ, habituq; decoro impleti, ipsum imitentur. Non minus enim quam tibia & concentus, boni regis intuitus animos subditorum afficere debet* Libet igitur exclamare: *O dii immortales, quam magnum est, personam in Republ. tueri principis, quæ non animis debet solùm, sed oculis servire civium,* nonnunquam etiam *Imperatores formâ ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantium.* Liberet insuper ac deceret, in hac materiâ me uberius explicare, sed in his, quibus me voluntariè damnavi, angustijs, cum Themistocle me non ineptè fortan excusavero, si dicam; *sermonem hominum instar esse pictorum stragulorum: nam ut hæc, ita illum aperire expansum imagines, contractum tegere.* Vet. Iamb. Petron. sat. Senec. l. 1. clem. c. 4. Ibid. c. 13. Stob. serm. 46. Cic. 8. philipp. Tac. 1. hist. 7. Plutar. Themist.

LIV.

MISCETUR DECORI VIRTUS.

Vn ſeigneur adviſé doit conioindre la grace
A la maſle vertu, l'une le fait aimer,
Et l'autre d'vn chacun hautement eſtimer:
Ceſte perfection toutes autres ſurpaſſe.

CRistas antiquì galeis imposuére, cum, quia *hæc species animos incendebat eorum, unde periculorum contemptores evaserunt; quippe profusio aliis in rebus voluptates producit, & animos enervat utentium, contrà impensa in huiuscemodi res roborat eum, extollitq;*; tum etiam ornatûs gratiâ, *Vir inde enim apparet duplo maior seipso, eius verò aspectus pulcher, hostibusq; terribilis*; unde lux affulget his diversorum versibus: Plut in Philopœm. Polyb. lib. 6.

Ibat Agenoreus præfulgens Ductor in ostro,
Excelsumq; caput pennâ nutante levabat
Cristа rubens: Sil. Ital. l. 17.
Quis decor, incedùs quoties clypeatus & auro
Squameus, & rutilus cristis & cassidе maior? Claud. 4. cons. Hon.
Miscetur decori virtus, pulcherq; severo
Armatur terrore pudor, galeaq; minaci Id pan. in Prob. & Olybr.
Flava cruentarum prætenditur umbra iubarum.

Quamvis autem *imperium in virtute esse non in decore*, dixerit Alexander Severus, attamen *virtuti addit forma suffragium. Illa præstitit, ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret*, ait ille ad Theodosium. Hinc Persæ *nullum regem constituebant qui deformis aut membro aliquo mutilatus esset*; non nescientes *elegantiam formæ à naturâ quiddam esse regium*. Fuit Alexander M. *formâ suprà hominem augustiore, cervice celsâ, latis oculis & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis lineamentis non sine maiestate quadam decorus*, T. Fl. Vespasiano *forma egregia, & cui non minus authoritatis inesset, quam gratiæ*. porrò *ipsa proceritas corporis, ipse honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas &c. nonnè longè lateq; principem ostentaverunt Traianum? quæ licet fortuita & inania putentur, tamen plurimum venerationis acquirùt. Iam verò Tarquinii ornamenta & insignia, quantum principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem?* Sit itaq; princeps etiam *in vestitu & corporis ornatu splendidus, ut & qui vident, ob aspectum principatu dignum iudicent. Luxum autem repudiet. Habet n. ornatus magnificentiã, luxus redundantiam*. Ita P. Scipionẽ Afr. *præterquam quod suapte naturâ multa maiestas inerat, adornabat habitus corporis, non cultus munditiis, sed virilis, ac verè militaris. Status quoq;, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. quibus in rebus duo sunt maximè fugienda, ne quid effœminatum aut molle, & ne quid durum aut rusticum sit. Sic Autoritas dignitasq; forma non defuit vel stanti, vel sedenti, ac præcipuè quiescenti, Tiberio Claudio Imp.* Deniq; *principibus haud malè conveniunt gravitas atq; magnificentia, sed miscenda semper ei frigori quod inesse gravitati videtur, apta quadam suavitas, & severitati, quæ magnificentia videtur inesse, grata quædam popularitas, ut his quoq; rebus imperio tuo decus concilies & audientes dicto subditos in iis habeas, qua vi mentis optimè perspexeris.* Lamprid. c. 43. Pacat. paneg. Procop. lib 1. Xenoph. Cyrop. Solin. c. 15. Sueton. vitâ eius c. 3. Plin. paneg. Plin. l. 1. Ep. 10. Flor. l. 1. c. 8. Isocr. ad Nicocl Id. paræn. ad Dem. Liv. l. 28. c. 35. Cic. 1. off. Sueton vitâ eius cap. 20. Manuel Imp. eduç. reg. c. 12.

LV.

Virg. 10. Æn. MENS OMNIBUS UNA SEQUENDI.

Voy tu pas ces brebis ſuiure leur conducteur?
Ainſi doibt le ſubiect en toute esjouyſſance
Aux mandemens du Roy preſter obeiſſance,
Mais auſſi, le Roy doibt eſtre bon commandeur.

EGo sanè, neq; aliàs rectum esse arbitror, ut qui magistratum gerit, subditis suis sit inferior, neq; salutare quidquam agi posse censeo, ubi ii, quibus iniunctum est, ut dicto sint audientes, imperare ipsi velint: intelligitis enim quam probè ornata sit futura ea domus, in quâ natu minoribus ætate grandiores despectui sint: aut ludus literarius, ubi discipuli magistros contemnant: quæ spes sanitatis ægrotis, si non per omnia medicis obtemperent: quam tuta navigatio, si nautæ gubernatorum iudicio non pareant. Ita natura duas necessarias res comparavit, ut alii cum imperio essent, alii ei subiicerẽtur, nihilq; est quod, absq; hoc esset, ne minimo quidem perdurare spacio queat. Proinde decet eum, qui alii præfectus est, excogitare quæ usui sint, eaq; mandare; qui verò subditus est, absq; omni excusatione obtemperare. Arbitror enim illum, qui se contrà ducem seditiosè gerit, adversus suam ipsius salutem seditiosum esse. Nam si, ubi iubeantur, quærere singulis liceat, (ait Otho ad suos) pereunte obsequio, etiam imperium intercidit: & addit: parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando res militares continentur. Vobis arma & animus sit, mihi consilium & virtutis vestræ regimen relinquite. Similiter Paulum Æmilium memorant, ubi legiones in Macedoniâ accepit loquacitatis & curiositatis plenas, atq; in ducis munus se inferentes, edixisse: ut manum promtam & gladium quisq; haberet acutum, reliqua sibi curæ fore. Adeò videntur greges omnes lubentius pastoribus suis parere, quam homines magistratibus: pergunt enim quocunq; pastores dirigunt, Oves verò præ omnib. obedientes, & ad parendum factæ, quocunq; enim mares à pastoribus ducantur, eò reliquus grex consequitur: Ita quoque legitimis & germanis principibus parére in omnibus populus debet, & alacriter obtemperare, ut qui secundum Deum maxima in Remp. beneficia conferant. Sic Lacedæmonios humilitate, & obedientiâ, magistratui præstitâ, omnes gloriari solitos accepimus. Unde Theopompus, quodam dicente, Spartam idcircò servari, quia reges scirent imperare, sed & inquit, quia cives parere: atque dependet unum ab altero: nec enim potest quis rectè parere, cum principes malè imperant: neq; sustinent parére iis, qui nesciunt præesse, sed est imperantis obedientia disciplina: siquidem efficit, qui benè ducit, ut benè sequaris. Quid non ille rei præclarè perfecerit? quo pacto non & ipsi sibi & imperio parentibus maximorum bonorum author extiterit, siquidem illum ad id, quod profuturum sit, rectâ gradientem viâ cuncti sequantur.

Dio Cass. l. 41.

Xenoph. lib. 6. ἀναβασ.

Tac. 1. hist. 83. & seq.

Plutar. in Galbâ.

Xenoph. lib. 1. κυρoπ.

Ælian. lib. 7. Var. c. 27. Arist l. 9 hist. an. c. 3.

Simplic. in Epict. c. 37. Stob. serm. 42.

Plutar. apopht. Lac.

Arist. id. orat. in Roma:

Plut. Lycurg.

Manuel Imp. orat. 1.

LVI.

Claud. de bello Get.

SIC DUCIS URGET AMOR.

He! peux tu voir l'amour de ces bandes laineuſes
Sans te ſentir eſpris d'vn redoublé effort
Tout preſt d'accompagner ton Prince & vif & mort,
Voire meſme au milieu des mers plus orageuſes.

VUlgus hac similitudine uti solet ad id demonstrandum, quod elegans autor: *Flexibiles*, inquit, *quamcunq; in partē ducimur à prin-* Plin. paneg.
cipe, atq; ut ita dicam sequaces sumus. huic enim cari, huic probati esse cupi-
mus, quod frustrà speraverint dissimiles, eoq; obsequiis continuatione pervenimus,
ut propè omnes homines unius moribus vivamus. Quo perniciosius de Rep. me- Cic. 3. de LL.
rentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt
in civitatem, neq; solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod cor-
rumpunt, plusq; exemplo quam peccato nocent. Equidem (ut ad meliorem Stob. serm 44.
interpretationem delabar) *& istud opinor, magnum esse argumentum*
virtutis in principe, si subditi ipsum libenter sequantur, & in periculis una per-
severent. Et illud argumentum est quod in exitu vitæ Cyro minori *accidit,* Xenoph. lib. 1. ἀνάβασ.
tum ipsum fuisse bonum, tum rectè iudicare potuisse, quosnam & fideles & be-
nevolos & constantes haberet. nam cum vitam amitteret, omnes apud eum ami-
ci & mensæ participes, pro eo pugnantes, mortem oppetierunt. Erat etiam in Hi- Plutar. in
spaniâ mos, ut cohors prætoria unà cum cadente Imperatore mortem obiret, Sertor.
quod vocabant, devotionem. Cæteros Imperatores paucis Sertorium multa millia
mortalium, qui sese devoverent cum eo morituros, sequebantur. Apud veteres Tac. Ger. c. 14.
Germanos *Principes pro victoriâ pugnabant, comites pro principe, & infame*
in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Ita
Romani *super ocyus omnes*

Membra ducis, stratosq; artus certamine magno Sil. It. lib. 5.
Telaq;, corporaq;, & non fausto Marte cruentas
Iniecere manus, sic densi cædis acervo,
Ceu tumulo, texere virum, videlicet Flaminium.

Et huc pertinet jusiurandum Græcorum ante pugnam ad Platæas: Lycurg. or. cō-
Non deseram duces vivos aut mortuos. At enimverò *Non hic est sine ratione* trà Leocr.
populis urbibusq; consensus, sic protegendi reges, & se suaq; iactandi, quocunq; Senec. 1. clem. 3.
desideraverit imperantis salus: nec hac vilitas sui est, aut dementia, pro uno
capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam animam redimere.
Quemadmodum totum corpus animo deservit, illum hac cutis munit, illius iussu
iacemus aut inquieti discurrimus: cum ille imperavit, sive avarus dominus
est, mare lucri causâ serutamur; sive ambitiosus, iamdudum dextram flammis
obiecimus: sic hac immensa multitudo unius animæ circundata, illius spiritu re-
gitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio Ib. c. 4.
sustineretur. Suam itaq; incolumitatem amant, cum pro uno homine denas
legiones in aciem deducunt, cum in primâ fronte procurrunt, & adversa vul-
neribus pectora ferunt, ne Imperatoris sui signa vertantur, utpote *quem ar-* Xenoph. lib. 2. Cyropæd.
bitrantur, de commodis suis prudentius seipsis dispicere.

LVII.

JUDICO NON JUDICOR.



De la pierre ne prend le niueau sa mesure,
Aussi n'est ce au subiect de iuger de son Roy,
Mais comme le niueau premier doit estre droit
Juste aussi soit le Roy, pour iuger en droiture.

Principis solum Deum iudicem esse posse, M. Anton. Imp. ait. Unde M. Terentius ad Tiberium: *Tibi summum*, inquit, *rerum iudicium dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est. Verum quemadmodum oportet, ut ipsa regula primum recta sit, nihil habens obliquum, deinde cetera sibi admota, quatenus sibi congruunt, exaquat; consimili modo princeps, posteaquam imperium in seipso paraverit ac direxerit, vitamq; suam composuerit, tum debet sibi applicare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis est, alium erigere, nec ignorantis, docere, nec incompositi, componere, nec ordinare, inordinati, nec imperare, eius qui non paruit imperio. Quare ne prius in alio tribunali iudicaveris, quam ipse coràm iustitiâ iudicatus fueris. Absurdum enim fuerit, eos in culpâ harere, qui iura præscribunt aliis, quandoquidem ab his potissimum exemplum vitæ petendum est. sicut enim ignis, quæcunq; admoventur, calefaciens, ipse primum innatâ sibi vi calet: nix contrà suapte naturâ frigida, infrigidat & alia: sic iudex ipse debet esse plenus iustitiâ, si aliis ius administraturus est, à quo ceu fonte promanant fluenta dulcia legum. Id autē ita demum fiet, si is qui ad iudicandum ascendit tribunal, iudicari se non minus, quam iudicare cogitet, & unà cum potestate assumat prudentiam, ne decipiatur, iustitiam, ut suum cuiq; tribuat, fortitudinem, ne flectatur precibus aut misericordiâ, quo minus animadvertat in conuictos sceleris. Ante omnia verò tibi* (monet Imperator filium) *si subditos tuos cum amore pariter ac metu te colere voles, quodq; visum tibi fuerit, pro lege ducere, necessarium erit, ut eadem ratione Deum ipse colas; quales enim tibi vis esse subditos, talem scilicet ipse te geres erga Dominum huius universi, absq; quò fuerit, multum reverà laborabis, at parum omninò perficies, & eventum instituto tuo contrarium experieris.* Sed interim neq; subditos suum *oportet iudicem pervertere, ad iram eum excitando, vel invidiam, vel misericordiam: quia id simile est, ac si quis, quâ usurus est, regulâ, eam reddat perversam.* Jam autem

Dio Cass. lib. 71.
Tac. 6. ann. c. 8.
Plut. de doctr. princip.
Epictet. apud Stob. serm. 7.
Philo lib. de Iudice.
Manuel Educ. reg. c. 8.
Arist. 1. Rhet. 1.

si prava est regula prima,
Omnia mendosè fieri atq; obstipa necesse est.

Lucret. lib. 4.

Ethicè rem applicans & explicans, *unum bonum esse*, dicit Seneca, *quod honestum. Hoc nec remitti nec intendi posse, non magis quam regulam, quâ rectum probari solet. Quam si flectas, quidquid ex illâ mutaveris, iniuria est recti. Idem ergò de virtute dicemus: & hæc recta est. Flexuram non recipit, rigida est, amplius intendi non potest. Hæc de omnibus rebus iudicat, de hac nulla.*

Epist. 71.

LVIII.

NOTOR UT NOSCAR.

Ce mouton quē tu vois taché ſi laidemēt
C'eſt afin que par là l'on le puiſſe connoiſtre
Souuent le deshonneur fait noſtre gloire accroiſtre,
Et le meſpris nous fait priſer plus hautement.

QUod Lentulo suo scribens Orator, *illustrabit*, inquit, *tuam amplitudinem hominum iniuria*: id verò sæpius usuvenisse, non caret exemplis, quorum abunde nobis unus Tacitus nostèr subministrat. In exequiis Juniæ *viginti Clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quintii, aliaq; eiusdem nobilitatis nomina: sed*, inquit ille, *præfulgebant Cassius atq; Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.* Alterum est de Cremutio: cuius *libros per ædiles cremandos censuére, sed manserunt*, inquit idem, *occultati & editi: Quo magis*; (addens,) *socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentiâ credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contrà, punitis ingeniis gliscit authoritas, neq; aliud externi reges, aut qui eadem sævitiâ usi sunt, nisi dedecus sibi, atq; illis gloriam peperére.* Pro tertio Labeonem producit, cui, *quod præturam intrà stetit, commendatio ex ipsâ hac iniuriâ.* Quartum extitit in Dolabellâ, *cui petenti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens, ne Blæsi avunculi eius laus obsoleseret. Sed neq; Blæsius ideò illustrior, & huic negatus honor gloriam intendit. quippe minore exercitu insignes captivos, cædem Ducis, belliq; confecti famam deportarat.* Ut alios etiam huc advocem, Titum Vespasianum *propalàm alium Neronem Romani & opinabantur, & prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conversaq; est in maximas laudes, neq; ullo vitio reperto, & contrà virtutibus summis.* Sed & Manlium Torquatum, *hebetis atq; obtusi cordis inter initia iuventæ existimatum*, Valerius Max. *in hoc* ait *fortunæ nubilo adolescentiæ perfusum, quo senectutis eius decus lucidius enitesceret.* Itaque

Cic l.b. 1. Epist. fam. 6.

Tac. l. 3. annal. in fin.

l. 4. ann. c. 35.

lib. 3. annal. c. 75.

l. 4. ann. c. 26.

Sueton. in vitâ eius c. 7.

lib. 6. c. 9.

Conscia mens recti, famæ mendacia ridens, Ovid. lib. 4. Fast.

tantum non exosculabitur illud Catonis Mai. responsum, *ad eos, qui mirabantur, cum statuas multi homines obscuri haberent, ipsum non habere,* Plutar. Cat. Mai.

dum, *malo*, inquiebat, *quæri, quare nulla mea statua extet, quam quare extet. Adeò spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit.* Interea *fac ea quæ iudicaveris esse honesta, etiamsi, postquam feceris, inglorius futurus sis. Omnis enim honestæ rei malus iudex est vulgus. Quorum igitur laudes contemptui haberes, eorundem vituperia quoq; spernas. Non vis esse iustus sine gloriâ? at me hercules sæpe iustus esse debebis cum infamiâ: & tunc, si sapis, mala opinio benè parta delectat.*

Liv. l. 2. c. 47.

Pythagoras apud Stob. serm. 44.

Senec. Ep. 113.

LIX.

Virg. l. 1. Æneid.

SIBI CONSCIA RECTI.

Que le peuple meſdiſe & meſdiſant murmure
De mes deportemens, ie n'en ay point de peur,
Cognoiſſant à part moy ce que i'ay dans le cœur,
Ma droite conſcience eſt celle qui m'aſſeure.

Meta est magistratus calumniantium, adeoq; ferè nemo est principum, quem non gravis fama perstringat: quin imò regium est, (iuxtà assertionem Alexandri M.) cum benè feceris, malè audire. Unde Chrysippus, rogatus, cur non administraret Remp. dixit, quia, si quis malè rexerit, diù displicebit, sin benè, civibus. Sic quædam rectissima, cum in aquam demissa sunt, speciem curvi præfractiq; visentibus reddunt. Flectitur n. visus, propter aquæ materiam densiorem, quæ causa est, cur in mari flexos procul remos videamus. Nimirum fieri non potest, ut princeps omnibus placeat, ac non vel iustissimè regens permultorum in odia incurrat. Maior enim pars hominum iniusta iustis potiora ducunt, quorum expleri cupiditates nequeunt. Iam virtuosorum quoq; alii magnas ac multas res expetunt, quas consequi non possunt: alii aliis posthabitos se indignantur: itaq; utriq; culpant principem. nec quid melius faciendum sit modo statuunt, sed quidquid aliter, quam ipsi censuêre, factum est, cum veluti dictâ die accusant: quæ magna impedimenta res gerentibus sunt, neq; enim omnes tam firmi & constantis animi contrà adversum rumorem esse possunt, quam Fabius, qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam secundâ famâ malè rem gerere, quamque Nicasa, qui Tacete quæso, inquit, Quirites, melius enim ego quam vos quid reipubl. expediat intelligo; quam denique Severus Imperator, diligens in rebus gerendis, negligens in requirendo, quis sermo de se haberetur. Verum est, præcipua rerum ad famam digenda principi; nec ego indulgendum illi, serviendum nego: cum maiore animo honestatis fructus in conscientiâ, quam in famâ reponatur. Sequi enim gloria non appeti debet. Itaq; ne respexeris ad falsas vulgi opiniones, sed veritatis rationem omnib. præferto. Nec apparentem gloriam cum subditorum damno usurpes, nec infamiam apparentem, quæ coniuncta sit subditorum utilitati, declines: certus, ubi Imperator rumoribus vulgi circumagitur, ibi nihil salutare esse, & expavescere ad hominum opinionem, calumnias & opprobria, non tanto digni imperio viri, sed servientis esse illis, quibus imperare ipsum & malè consultos decet reprimere: vera enim & sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maximè natura sequitur, in factis positum, non in gloriâ iudicat, principemq; se esse mavult quam videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Rem paucis complectitur optimus sui filii præceptor, Imperator ille qui Meris pro nugis, inquit, calumnias habeto, nisi te meritò tangunt. atq; hoc intelligo, cum aliquid boni præstare licet; at fieri nequit, ut eas ullo modo effugias. quippe si falsum crimen vitari possit, magno id sanè redimendum. nam princeps viro ne quidem iniusta de se querela flocci facienda est. Multos enim mendacium perdidit, aut si salvi manerent, læsit. Quod si res aliter fieri nequit, factis honestis insistito, potiusq; vir bonus esse quàm haberi velis. adeoq; tibi satis esto, si te bonum esse, Deo, tibimet ipsi, bonisq; viris constet.

Dio. Cass. lib 38. Capitolin. in Anton.
Plut. in apoph.
Stob. serm. 43.
Senec. Ep. 71.
Plut. lib. 3. de plac. phil. c. 5.
Dio Cass. lib. 55.
Liv. I. 44. c. 22.
Val. Max. l. 5. c. 3.
Dio Cass. l. 76.
Tac. 4. ann. 40.
Senec. Ep. 14.
Plin. l. 2. Ep. 8.
Stob. serm. 44.
Liv. l 44 c. 34.
Plut. in Fabio.
Cic. 1. off.
Manuel Educ. reg. c. 38.

LX.

EGO VERO HAUD MORDEOR.

Les dards enuenimez de celuy qui blaſonne
Peuuent moins qu'vne mouche au cuir d'un Elephãt,
Jappe donc contre moy vn homme meſdiſant,
Tel venin rejaillit en cil qui me le donne.

ELephanti *durissimum dorso tergus est*, unde Aristoteles & Ælianus *falcem*, Statius *bipennem* Elephantistæ tribuunt, ut levi cutis vulneratione regatur. Itaque tantum abest, ut, iuxtà proverbium, *curet culices*, ut potius Solin. c. 28.

Omne repercussum squallenti missile tergo Frangat. Lucan. lib. 6.

Pusilli & miseri est repetere mordentem, ut mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt; imbecilla se ladi putant, si tanguntur. Contrà *ingens animus, & verus æstimator sui non vindicat iniuriam, quia non sentit*, aut si sentit, *nullius tam vehemens nequitia est, ut motu eius digna sit.* Adeoque *nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigéris, accidere.* Senec. l. 2. de irâ. c. 34. Ib. l. 3. c. 5. Symmachi. lib. 9. Ep. 105. Senec. ibid. c. 6.

——— *Dignum te Cæsaris irâ* Lucan. lib. 3.

Nullus honor faciet, inquit ipse ad Metellum sibi cõvitiantem, *eo se indigniorem iniuriâ ostendens, quo eam æquiore animo sustinebat*: & solebat dicere, *multos esse, qui deditâ operâ meliores crebrìs ac vacuis dictis proscinderent, ut eos ad contentionem stimularent, utq; hi, eiusmodi regerentes opprobria, ipsorum similes haberentur, eam ob rem se cum nullo in id genus certaminis descendendum sibi ducere.* Idem ferè consuluit Augusto Mecænas: *si quis*, inquit, *cõvitiatus tibi fuerit, aut in occulto tibi detraxerit, neq; deferentem audire debes, neq; delatum punire. Turpe enim sit, facilè te id credere, cum causam non præbeas, esse tamen, qui convitio petant. Atq; id ferè nonnisi mali principes credunt, quos ad fidem inclinat conscientia. Deinde autem iniquum sit, hac iracundia aut punire, quæ si vera sunt, præstat non admittere, sin falsa, dissimulare. Nam ultione istâ quid nisi plures sermones & plurium provocabis*, itaque *non melius te ulciscare quam patientiâ, quoniam si illæ, cui convitium fit, dissimulaverit, in ipsum autorem redundat.* Siquidem *ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio.* Et reverà quod ait Cremutius, ambo hi, nimirũ *ipse Divus Iulius, ipse D. Augustus, & tulere ista, & reliquere, haud facilè dixerim, moderatione magis, an sapientiâ. namq; spreta exolescunt, si iracunde, agnita videntur.* Ideoque sequentes Impp. egregiâ æmulatione suis obtrectatoribus ultrò veniam indulserunt: *scientes, si omnes convitiatores supplicio afficerent, se, quibus imperarent, non habituros*, nec nescientes, quam *contumeliarum patientia sit ingens instrumentum ad tutelam regni.* Val. Max. l. 7. c. 8. Dio Cass. l. 78. d. lib. 72. Stob. serm. 17. Senec. l. 2. de irâ c. 32. Tac. 4. ann. c. 34. Vid. l. un. C. si quis Imp. maledix. Arrian. Epict. lib. 3. c. 4. Senec. lib. 3. de irâ c. 23.

LXI.

NIL TAMEN HÆRET.

Ceſte fleur auec l'eau à telle antipathie
Que d'icelle au milieu rien d'icelle ne prend,
Du vertueux ainſi la bonne vie rend
Rebouchez tous les traicts d'une blafarde enuie.

ERat Medius inter adulatorum greges, qui cum Alexandro vivebant, veluti Magister antesignanus, adversus optimates oppositus. Iubebat igitur, uti audacter calumniis morderent, docens etiamsi, qui morsus esset, vulneri mederetur, cicatricem tamen calumniæ relinqui. Hinc verisimile est, profectum esse vulgatum illud: *Calumniare audacter, semper aliquid hæret*; quod sæpè contrà esse deprehenditur, præsertim in *Integro vitæ scelerisq; puro*: teste summo oratore: *Nonne ut ignis*, inquit, *in aquam conjectus, continuò restinguitur & refrigeratur: sic falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum, statim concidit & restinguitur.* Cui subscribit philosophus plenus Imperator: *Cædes*, inquit, *peragant homines, macteut, execrentur: quid hæc possunt, quo minus mens tua permaneat pura, prudens, modesta, iusta? Quemadmodum si quis limpido & dulci fonti assistens ei convitium faciat, ille quidem ob id non cessat puram aquam scaturire: quin & si quis lutum aut stercus iniiciat, tamen statim illa dissipabit atq; eluet, neq; ab iis obturabitur.* Sic & Adiantum herba *aquas respuit, perfusum mersumve sicco simile semper.* Notandum hic illud Apophtegma Demetrii: *eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. quid enim, inquit, meâ refert, sursum isti, an deorsum sonent? quanta dementia est, vereri, ne infameris ab infamibus.. Scommata & convitia*, (legitur apud Ælianum) *mihi nullam vim habere videntur. Etenim si adversus animum solidum & sibi constantem applicentur, intereunt: sin ad illiberalem, & abiectum, possunt aliquid.* Unde Socrates *dicenti cuidam, nonne tibi ille maledicit? non inquit, mihi enim ista non adsunt.* Et Diogenes Cynicus, *dicente quodam, plures te irridenti, at ego, inquit, non irrideor.*

Plutar. de discr. adul. & amici.

Hora. L. 1. od. 22.

l. 11. C. de his quæ ut indign. M. Antonin. l. 8. de vitâ suâ.

Plin. li. 22. c. 21.

Sene. Ep. 91.

lib. 5. Var. c. 2.

Laërt. in Socr.

Id. in Diogene.

Ego isthæc feci verba virtute irrita, diceret Alcmena aliqua. *Me quidem* (generosa Marii vox est) *ex animi mei sententiâ, ledere nulla oratio potest, quippe vera necesse est benè prædicet, falsam vita moresq; mei superant. Secundum quæ* (quisquis es Lector) *si fiduciam innocentiæ geris, adversus omnem calumniam, maximam habes securitatem*, quâ fretus audacter illud pronuncies:

Plaut. Amph. 1. 2. Sallust. Iugurth.

l. 10. C. eod.

Mordear opprobriis falsis, mutemq; colores?
Falsus honor iuvat & mendax infamia terret
Quem nisi mendosum & mendacem?

Horat. lib. 1. Ep. 16.

LXII.

IN CUNIS JAM JOVE DIGNUS.

La vertu ne prend pas de l'aage ſa naiſſance:
D'Hercule en ſon maillot le courage indompté,
Qui a de ſes deux mains ces ſerpents ſurmonté,
Fait voir, qu'en vn enfant paroiſt ia ſa puiſſance.

Attingam nunc quasi cunabula quædam & elementa virtutis animique, procedente tempore ad summum gloriæ cumulum perventuri: certo cum indolis experimento datos gestus referam. Nunquam enim quamvis obscura virtus latet, sed mittit sui signa: adeò omne

Val. Max. l. 3. c. 1. § nec. c. 3. de tranq.

Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit, & ignavæ fert malè damna moræ.
Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
Pressit, & in cunis iam Iove dignus erat.

Ovid lib. 1. de arte.

In Tito Flavio Vespasiano, *puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt: magis ac magis deinceps per ætatis gradus.* Themistoclem *constat puerum etiamnum ardoris animi plenum fuisse, indole sapientem, studio ad res magnas propensum, natumque ad rem publicam tractandam.* P. Corn. Scipio *iam inde à pueritiâ, cum eximiæ indolis & summæ virtutis specimen præ se ferret, sub auspicio patris cepit disciplinis militaribus erudiri.* Catonem etiam minorem *fama est à primâ statim ætate mores voce, vultu, & per ludum præ se tulisse, ubique inflexibiles, infractos & stabiles.* Quid M. Tull. Cicero? *ubi literarum fuit per ætatem capax, tanta in eo eluxit indoles, tantumque nomen inter pueros & laudem comparavit, quæ parentes eorum excitaret, ut ad ludum pergerent ad Ciceronem oculis contemplandum, celebratumque eius in discendo acumen & solertiam considerandam: agrestiores succenserent filiis, cum cernerent in mediâ eos catervâ Ciceronem honoris causa per vias stipantes.* Ad Poetam quoque devenio, cui describitur:

Sueton. in vitâ eius c. 3. Plutar. in Them.

Idem in Scip.

Id. Cat. Min.

Idem in Cic.

Tenero tunc Saurus in ævo,
Sed (addit) *iam signa dabat nascens in sæcula virtus.*

Sil. Ital. l. 1.

Denique ne nobis Fabius obiici possit, recensebimus integrum hîc Plutarchi contextum: *Ovicula, puer etiamnum*, inquit, *dictus est, ex mansuetis & gravibus moribus. Quippe sedatum ingenium eius & taciturnitas, magnamque in fruendis puerilibus oblectamentis cautio, tarditas ac labor in percipiendis literis, facilitas & obsequium adversus sodales, stultitiæ opinionem ei apud ignotos & ignaviæ præbuit. Stabilem verò altamque eius indolem, & animi celsitudinem pauci fuêre qui perspicerent. At brevi inde cum ætate Reipubl. gerendâ excitatus, quam securitatem alii rebantur, immotum ostendit cuilibet animum esse, cautionem, prudentiam, tarditatem & cunctationem constantiam & firmitudinem animi.*

Plut. in pr. Fabii Max.

LXIII.

JAM REGIT ARMENTUM.

Pour eſtre plus aagé on n'en eſt pas plus ſage,
Un veau ſouuentesfois conduira le troupeau (reau
Mieux que quelque grand bœuf ou bienpuiſſant tau-
Nous iugeons donc à tort de la vertu par l'aage.

NOn ætate verum ingenio adipiscitur sapientia; neq; vetulus Cantherius quam novellus melior, nec canitudini comes virtus. Est ætas perfecta, ubi virtus est perfecta. Vbi ergò illorum prærogativa, qui contrà indolem iuniorum solâ occasione præcedentis ætatis intumescunt? quales alloquitur Scipio, *Fateor*, inquit, *primoribus annis*

Excepi nubem belli, solusq; ruenti
Obieci telo caput, atq; in me omnia verti,
Tum grandæva manus puero malè credita bella
Atq; idem hic vates temeraria cepta canebat,
Diis grates laudemq; fero, sub nomine quorum
Gens Troiana sumus, puer ille & futilis ætas
Imbellesq; anni, nec dum maturus ad arma
Scipio restituit terras illæsus Iberas. Alexander M. *annos natus*

vigimti regnum accepit, in quâ ætate ita moderatè de se multa pollicitus est, ut appareret, plura eum experimentis reservare. Cumq; Thebanos accepisset rebellare, atq; cum eis conspirare Athenienses, confestim exercitum per Thermophilas traduxit, dicens: Demosthenì, qui puerum se, dum in Illyrico ageret, appellaverat, & adolescentem, cum Thessaliam iniisset, velle sub Athenienstum mœnibus virum se monstrare. Sed Athenienses sicuti primi defecerunt, ita primi pœnitere cœperunt, contemptum hostis in admirationem convertentes, pueritiamq; Alexandri spretam antè, suprà virtutem veterum ducum extollentes. Romani quidam, Nerone Imperium capessente, *quemadmodum princeps, vix septendecim annos egressus, suscipere eam molem posset, anquirebant. quibus alii melius eveniisse disserunt, quam si invalidus senectâ & ignaviâ Claudius militiæ ad labores vocaretur, servilibus iussis obtemperaturus: & Imperatoris quantum ad robur deesset? cum XVIII. ætatis anno Pompeius XIX. Cæsar Octavianus civilia bella sustinuerint. Pleraq; in summâ fortunâ auspiciis & consiliis quam telis & manibus geri. Illyrii infantiam Europi regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediebantur, qui prælio pulsi, rege suo in cunis prolato, & pugna ante aciem posito, acrius certamen repetiverunt, tanquam ideò victi fuissent antè, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent. Conserto itaq; prælio magnâ cæde Illyrios fudere, ostenderuntq; hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse.* Sumpsimus autem hanc Epigraphen ex Claudiano, qui sic ad Honorium:

Flaut. Trin. 2. 2.
Varro aborig.
Ambros. in orat. funeb. Theod.
Sidon. lib. 8. Ep. 7.
Sil. Ital. l. 16.
Plutarch. in vitâ eius.
Iustin. l. 11.
Plutar. ibid.
Iustin. d. li. 11.
Tac. 13. ann. 6.
Iustin. pr. l. 7.
Claud. 4 conf. Honor.

——— *nostro nec debes* (inquit) *regna favori,*
Qua tibi iam natura dedit, sic pascua parvus
Vendicat & necdum firmatis cornibus audax
Iam regit armentum Vitulus, sed prælia differt
In Iuvenem &c.

LXIV.

CONSILIO NON ROBORE.

Souuent vn petit vent ſecondé par l'adreſſe
D'vn prudent nautonnier mene la barque au port,
De meſme en vn eſtat d'vn gouuerneur l'effort
N'aduance iamais tant qu'vne coye ſageſſe.

Sapientiâ gubernator navem torquet non valentiâ, nec viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio & authoritate & sententiâ. Adeòque loquuntur hoc omnes Historiæ, *plura negotia oportunitate occasionum quam viribus esse rectè confecta.* Quo minus audiendi sunt impotentes isti Centauri, atque Capitones, quibus cerebrum omne in manibus est situm, quique omnem exactioris prudentiæ disciplinam aspernati, solo suo sensu ac impetu, res gerendas suscipiunt: Quos egregiè redarguit alieno sub nomine Ulysses: Titinnius apud Nonium. Cic. de senect. Dio Cass. lib. 45.

Tibi dextera bello Ovid. l. 13. meta.
Vtilis, ingenium est, quod eget moderamine nostro,
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: Tu tantum corpore prodes,
Nos animo: quantoq; ratem qui temperat, antèit
Remigis officium, quantò Dux milite maior;
Tantum ego te supero. nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu: vigor omnis in illis.

Rectè igitur ab Antonio dictum, *militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo, consultando, cunctatione sæpius quam temeritate prodesse. Vt pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit, ratione & consilio, propriis ducis artibus, profuturum.* Itaque *Imperator, si quando ipse decertet, caveat diligenter, ne sit audacior, aut potius manum omninò cum hoste non conferat. Nam licet præstabilem fortitudinis operam navare posit, non tamen tantum suis pugnando proderit, quantum occumbendo oberit. Illius enim prudentia longè anteponenda fortitudini. Nimirum quilibet è populo miles corporis robore strenuè facere potest, mentis autem prudentiâ benè consulere, haud alius facilè queat. Nam quomodo, si gubernator relicto gubernaculo nauticis remigum operis sese immisceat, navem in periculo esse contingit: eodem planè modò, si Imperator consilia suis dare negligens, ad militaria munera se transfert, rem universam in maximum adducit discrimen, meliorum enim maiorumq; curarum incuriâ irritum & vacuum fiet, cum desiderabitur, auxilium.* Tac. 3. hist. 20. Onosand. strateg. c. 31.

LXV.

GUBERNANDO NON LOQUENDO.

Je ſortiray fort bien de ce contour eſtroit
Philoſophie ayant pour ma loyale guide;
Je ne dis celle-là qui de tout effect vuide
N'apprẽd qu'à bien parler, point à gouuerner droict.

PAradoxon est, *nisi vel philosophi dominentur vel reges philosophentur non fore civitates beatas. Constat igitur philosophari regem oportere, & equidem ita statuo bonum regem etiam philosophū esse.* Stupetis? *Agedum spectemus Alexandrum M. ex iis sanè quæ dictitavit, actitavit, docuit, philosophus invenietur. Et nos non de Grammatico aut oratore, quorum scientia est, quomodo loqui deceat, sed de sapiente disserimus, cuius doctrina est, quomodo vivere oporteat. Ars est enim philosophia vitæ* & falluntur *qui in edissertandis eam rebus, non in gerendis esse putant. Non est populare artificium, nec ostentationi paratum: non in verbis, sed in rebus est, animum format, vitam disponit, actiones regit, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. Quantò maiore putas vitam tempestate iactari, quam ullam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum. Antiqua sapientia nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit: & tunc longè meliores erant viri. postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurq; disputare, non vivere.* Vetustiores Athenienses *virtutem non verbis sed factis exercuerunt.* Sic & Lycurgus *ob oculos posuit totam philosophantem civitatem Spartanā.* Apud Rom. *optimus quisq; facere quàm dicere malebat.* Marius, *neq; literas*, inquit, *græcas didici, parum placebat eas discere. quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At illa multo optima reipub. doctus sum, hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem & æstatem iuxtà pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare, his ego præceptis milites hortabor: hoc est utile, hoc civile Imperium.* Tales accepimus Fabium & Decium *viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæq; certamina rudes. Ea ingenia consularia esse. Callidos solertesq; iurù atq; eloquentiæ consultos, qualis Appius Claudius, urbi ac foro præsides habendos*, non igitur est de nihilo vaticinium illud Vmbræ paternæ coràm Æneâ prolatum:

Plato lib. 8. de Rep.
Musonius apud Stob. serm. 46.
Plutar. lib. 1. de virt & fort. Alexand.
Lactant. de fals. sap. c 13.
Cic. lib. 3. de fin. in pr.
Plutar. ibid.
Senec. Ep. 16.
Id. Ep. 108.
Id. Ep. 95.
Lycurg. orat. contr. Leocr.
Plutarc. Lycurg.
Salust. Catil.
Id. Iugurth.
Liv. l. 10. c. 22.

Orabunt alii causas, cœlique meatus
Describent radio & surgentia sidera dicent,
Tu regere imperio populos Romane memento
Hæ tibi erunt artes: quas comprehendit Elogium Imp. Friderici I.
Forma nitens, animusque sagax, manus impigra, solers
Consiliis, belloque ferox & pace modestus,
Certus amor, robusta fides, constantia mentis
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis,
Laudis amans largitor opum, crudelibus atrox,
Supplicibus facilis, iustis pius, asper iniquis,
Fortis ad instantes casus, prudensque futuri,
Præteritique memor, sociis bonus, impius hosti.
Hæc sunt, ó proceres, hæc sunt quæ regna tueri,
Ac munire solent, his artibus infima crescunt,
Maxima servantur &c.

Virg. 6. Æn.
Cunth. lib. 1.

LXVI.

IDEM PACIS MEDIUSQUE BELLI.

Horat. lib. 2. od. 19.

Je ſuis à l'vn & l'autre egalement conſtant,
Point delicat en guerre ou fier en temps de paix,
La guerre eſtabliray par des louables faits,
La paix par bonnes loix, & par doux traittement.

Diviſa omnis vita eſt in negotium & otium, Unde cum duæ ſint non ſolum privatorum, ſed & omnium civitatum probationes, pax & bellum, rarus in utroque excellet. Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace: alium toga, ſed non & arma honeſtarunt, Cn. Marius quantum bello optimus, tantum pace peßimus. Primus Antonius, pace peßimus, bello non ſpernendus. Hannibalem virum indocilem paciq; modiq; Vates vocat. Cl. Ruſſus vir facundus, & pacis artibus belli inexpertus. Porrò pleraq; ex civitatibus tantiſper quidem dum bellum gerunt ſalvæ ſunt, potitæ autem imperio & principatu, occidunt. Imò nulla magna civitas diu quieſcere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi invenit. Sic Germani diſceſſu Romanorum vacui externo metu, arma in ſe verterunt, quia & ingrata genti quies & facilius inter ancipitia clareſcunt. Sic Lacedæmonii ſalvi quidem erant bellum gerentes: interibant autem imperium adepti, quia otiari & quieſcere non poterant, neq; ullam aliam artem militari præſtabiliorem & dominantiorem exercuerunt. Tota enim legum deſcriptio Lycurgi ad unam virtutis partem, artem militarem referebatur. Adeò excellentibus ingeniis citius defuerit ars quàm civem regant, quam quâ hoſtem ſuperent. nam pax & quies bonis artibus indigent. Itaque nos olivæ ramum gladio inſerimus in Emblemate noſtro, eò quod firmanda eſt Reſpubl. non armis modò, neq; adverſus hoſtes, ſed quod multò maius multoq; aſperius eſt, bonis pacis artibus. Oportet enim negotia quidem & bella gerere poſſe, ſed magis agitare pacem atq; otiari poſſe, moreque veterum Romanorum ac Gothorum, qui duabus his artibus, audaciâ in bello, ubi pax evenerat, æquitate, ſeq; remq; publicam curabant, foris prœlia, intus noſſe exercere modeſtiam. Præſtitit hoc Jul Agricola, militare nomen grave inter otioſos aliis virtutibus temperando, tranquillitatem atq; otium penitus augendo. Simíliter Traiani prædicanda moderatio, quod innutritus bellicis laudibus, pacem amabat. Nam cum turpe ſit non poſſe bonis uti, tum multo turpius eſt, otioſâ vita non poſſe uti; ſed occupatos quidem & bellum gerentes ſe præbere viros bonos: pacem agitantes verò & otio diſſluentes mancipiorum ſimiles eſſe. Fortitudine igitur & laborum toleratiâ opus eſt in occupatione & negotio: philoſophiâ autem in otio & quiete: temperantiâ vero & iuſtitiâ in utroq; tempore, ſed magis tamen in pace.

Ariſtot. l. 7. Pol. t. c. 14.
Ariſtides or. panath.
Plin. paneg.
Vell. Paterc. lib. 2.
Tac. 2. hiſt. 86.
Sil. Ital. lib. 12.
Tac. 1. hiſt. c. 8.
Ariſtot. d. c. 14.
Liv. lib. 30. c. 44.
Tac. 2. annal. 44.
Id. c. 14. de Germ.
Ariſtot. 2. polit. 9.
Ibid.
Liv. l. 2. c. 48.
Tac. 4. hiſt. 2.
Hieron. adverſ. Luciferianos.
Salluſt orat. de rep. ordin.
Ariſtot. 7. polit. 14.
Saluſt. Catiliſt.
Caſſiod. lib. 3. Var. Ep. 24.
Tac. Agric. c. 40.
Plin. Pan.
Ariſtot. ib. c. 15.
Ibid.

LXVII.

IN INSIGNIA ACADEMIÆ PALATINÆ.

De force & de conſeil voila le vray drapeau,
Soubs lequel s'entretient vn eſtat pacifique.
Ce liure jamais clos nous ſert d'Hierogliphique,
Qu'il faut qu'en apprenant nous allions au tombeau.

LEo librum tenet apertum, quem haud perperam aliquis ad istum ritum omnibus ferè Academiis usitatum referens interpretetur, quo solet apertus liber proponi novis Canditatis: non eò tantum, quod *hominis mens discendo alitur & cogitando semper aliquid aut anquirit aut agit, videndiq; & audiendi delectatione ducitur, sed & quia re-* Cic. 1. off. Senec. Ep. 76. *verà tam diu discendum est, quamdiu nescias, & si proverbio credimus, quamdiu vivas.* Quod & agnovit JCtus noster egregiâ hac & dignâ sententiâ iuvenum quæ personet aures: *Ego*, inquit, *discendi cupiditate, quam solàm vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum* l. 20. ff. de fideic. libert. *ætatis duxi, memor sum eius sententiæ, qui dixisse fertur: Etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere.*

Nunquam enim ita quisquam benè subductâ ratione ad vitæ fuit, Terent. Adelph. act. 5. sc. 4.
Quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Itaq; *discendi tempus universum sit vitæ spatium, si fieri potest. Nam bonum est* Manuel Imp. *animum bonâ re quapiam imbui, etiam tum cum à corpore dirimitur.* Quod duc. Reg. c. 75. si rem hieroglyphicè velimus exigere: *Leonis quidem figura declarare* Dionys. lib. 1. *putanda est principatum, robur, invictumq; animum*: Liber verò omnium cœlest. Hierar. assensu literarum disciplinam & eruditionem significat, adeò hæc duo coniungenda, quandoquidem

Robur cum imperitia sæpius damnosum est: Eurip. apud Stob. serm. 52.

id quod tantoperè filio suo inculcat is ipse Imperator, his verbis: *Insignis est corona regum pulcherrimèq; contexta, mistum intelligentiæ robur* Manuel Ibid. c. 53. *corporis. Quod si à potestate absit eruditio, tum ipsum robur, tum quidquid aliud eius est generis, præterquam quod nihil secum fert boni, damni quoq; sæpius occasionem præbet. quippe nec equus animosus atq; robustus usui fuerit equiti vulgari. Quando igitur etiam id noxium est, quod inest naturæ bonum, si ab eruditione destituatur, quantis laboribus, quo studio doctrinæ cognitio est comparanda? Pulcrum sanè iucundumq; spectaculum est, & incitamentum quoddam ad bonum iuventus & discendi cupida, & quod didicit ipsis factis præstandi. Peritia namq; non simpliciter peritis est bona sed peritiam suam declarantibus. Cum ergò duæ res sint, imperare ac privatum esse, quorum utrumq; distinguitur, in id, quod rectè quodq; secus sit: egregium sanè par fuerit ex ambobus conflatum, imperare scilicet ac rectè imperare.* At verò *quis melius* Vopisc. in Tac. c. 4. *quam literatus imperat?* Acclamatum à Senatoribus Rom. in laudem Imp. Taciti.

LXVIII.

EXERCET UTRUMQUE.

Le liure d'vne main la maſſue de l'autre,
Cette-cy eſt du corps, ceſtui-là de l'eſprit,
Chiron par ſon exemple à ſon Achille apprit,
Que pour bien viure il faut exercer l'vn & l'autre.

Benè habere corpore simul & animâ curandum est. Nam *si non animo benè est, nec corpori benè est*, inquit Philiscus. Sed & contra *mirum est, ut animus agitatione motuq; corporis excitetur*, quippe *cuius fulturis sustinetur.* Hinc Cajus Cæsar ex quo vulneratus erat ab Adduo quodam *ut corpus minus habile, ita animum quoq; minus utilem Reipubl. cepit habere. Frigescunt enim impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum.* Id quod sæpissimè *usuvenit animo, qui, dum pusillum relaxare & concedere renuit fatigato corpori & postulanti, paulò post febri quapiam incidente, seu capitis vertigine, libris disputationibus & exercitiis literariis omissis, cogitur unà cum illo agrotare, simulq; laborare.* quare

——— *ut sit mens sana in corpore sano,*

cave *ne pigrum & negligentem corporis, literarum amor faciat*, sed potius, *da operam, ut & corpore sis laborioso, & animo studioso: ut altero perficere queas decreta, altero prospicere scias futura.* Sic apud Romanos *ingenium nemo sine corpore exercebat*, prout *rectè monebat Plato, ut neq; corpus exerceremus sine animo, neq; animum sine corpore, sed veluti coniugii cuiusdam æquilibrium servaremus corpori: cum maxime animo navat operam, seq; laborum socium præbet, tum plurimam illi curam ac solicitudinem vicissim impendentes.* Fugiendæ tamen *exercitationes, quarum labor spiritum exhaurit, & inhabilem intentioni ac studiis acrioribus reddit.* Tum posteà *uno tempore & mente & corpore laborem sufferre non oportet, uterq; enim labor res contrarias efficere solet naturâ: & corporis labor menti, mentis labor verò corpori impedimento est.* Denique *sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore:* & in summâ, *quæ corpori serviunt, eatenus adhibeantur, quatenus animo sunt usui. Animus enim propriè est homo.*

Epict. apud Stob. serm. 3.
Dio Cass. lib. 58.
Plin lib. 1. Ep. 6. lib. Ep. 9.
Vell Paterc. l. 2.
Quintil. decl. 1.
Plut. de tuend. sanit.
Iuven. sat. 10.
Senec. Ep. 84.
Hoct. par. ad Dem.
Sallust. Catil.
Plut. d. lib.
Senec. Ep. 15.
Arist. l. 8. polit. c. 4.
Senec. Ep. 14.
Epict. Enchir. c. 46.
Manuel Imp. orat. 1.

LXIX.

NI LAXES RUMPITUR.

L'arc trop long temps bandé faut en fin qu'il se brise,
Ce qui n'a son repos, ne peut gueres durer,
C'est se rompre du tout sans cesse labourer,
Vn moderé repos au trauail nous aiguise.

MEo & Phœdræ calculo

Quod caret alternâ requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires feſſaq; membra levat. Ovid. Ep. 4. Heroid.

Ideoque ſubſumit eadem ad Hippolytum:

Arcus & arma tua tibi ſint imitanda Dianæ
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

Omninò mortalium nemo eſt qui ſeriis rebus atq; laboribus intentus eſſe perpetuò poſſit, ſed ipſa natura cuiusq; ſeria tractantis aliquod etiam ſolatium deſiderat, ad refocillandam *ingenii laſſitudinem: quæ non minor eſt, quam corporis, ſed occultior. Nec* unquam *in eadem intentione æquabiliter retinenda mens, ſed danda eſt remiſſio animis: meliores acrioresq; requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum, citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & languor. Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros. Modus tamen ſit remiſſionibus, ne aut odium ſtudiorum faciant negata, aut ocii conſuetudinem nimiæ. Multum intereſt, inter ocium & conditivum, remittas aliquid, an ſolvas.* Denique *quando fieri nequit, ut perpetuo curarum flammam ſuſtineat is qui rerum potitur, eatenus mens curis ſolvatur, quatenus animi moleſtiam depellat. nam cum multa ſint eaq; varia, quæ tam interdiu quam noctu principem ſolicitum eſſe cogunt, facilè vitam amiſerit, ſemper cum negotiis colluctando, quæ nullas omninò cogitationibus inducias concedunt. Perhibent quendam maximum olim virum lautè cum amicis epulantem dixiſſe: mentem curis ſolvendam eſſe, ſicut arcus enervare ſoleamus, ſiquidem illis iterum validis uti velimus, inſtauratis eorum viribus.*

Manuel Educ. reg. c. 80.
Sen. præf. lib. 1. contr.
Senec. c. 15. de tranq. anim.
Quintil. lib. 1. c. 3.
Senec. Ep. 82.
Id. d. c. 15.
Manuel Imp. Educ. Reg. c. 79.

LXX.

FORTIOR UT REDEAT.

Par ce reculement il redouble ſon pas:
Ainſi eſt de l'eſprit, apres peu de relaſche
Beaucoup plus gayement ſe remet à ſa taſche,
Vn trauail ſans repos nous conduit au treſpas.

Vires, inquit Poeta, *instigat alitq;*
Tempestiva quies, maior post otia virtus.

Stat. l. 4. sylv. c. 4.

Cui pondus addit exemplum Publ. Scipionis Africani qui *cum in Siciliâ augendo exercitum, traiiciendoq; in Africam opportunum quærendo gradum Carthaginis ruinam animo volueret, inter consilia ac molitiones tantæ rei, operam gymnasio dedit, pallioq; & crepidis usus est: nec hâc re segniores Punicis exercitibus manus intulit, sed nescio an ideò alacriores, quia vegeta & strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt:* sicut arietes, qui, quo longius recedunt, eo fortius assultant. Tale quid in Portio quoque Latrone fuit, quo *nemo plus ingenio suo imperavit, nemo plus indulsit. cum se dimisserat, in omnes lusus & in omnes iocos se resoluebat. Cum verò se siluis montibusq; tradiderat, omnes illos agrestes in silvis ac montibus natos, laboris patientiâ ac venandi solertiâ provocabat: & in tantam sic vivendi pervenerat cupiditatem, ut vix posset ad priorem consuetudinem retrahi. At cum sibi manum iniecerat, & se blandiendo, unde abduxerat, revocarat, tantis viribus incumbebat in studium, ut non tantum nihil perdidisse, sed multum acquisivisse desidiâ videretur. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor: & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Nulli tamen intermissio manifestius proderat. Quoties ex intervallo dixerat, multò acrius violentiusq; dicebat. Exultabat enim novato & integrato robore, & tantum à se exprimebat, quantum concupierat.* Simile quiddam de maioribus nostris proditur: *Quoties bella non ineunt, non multum venatibus plus per otium transigunt dediti somno ciboq;. Fortissimus quisq; ac bellicosissimus nihil agens, delegatâ domus & penatium & agrorum curâ fœminis senibusq;, & infirmissimo cuiq; ex familiâ. Ipsi hebent, mirâ diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam & oderint quietem.*

Val. Max. lib. 3. c. 6.

Senec. præfat. lib. 1. Controv.

Tacit. de mor. Germ. c. 15.

LXXI.

TOLLAT QUI TE NON NOVERIT.

Ce fardeau paroiſt autre à celuy qui le porte,
Qu'à ceux qu'il esblouyt de ſon luſtre trompeur,
Ceuxcy n'en ont jamais conneu la peſanteur,
Mais l'autre ſçait expert quel tourment il apporte.

Multi dubitant, sitne privatorum quidem hominum, sed moderatè se gerentium, potius expetenda vita, quam regum; nam cum honores eorum & diuitias & imperia intuentur, omnes eos diis similes esse censent, qui soli rerum potiuntur. Et *Deûm certè immortalium princeps esset similis* (consitente Augusto) *nisi maioribus, quam privati, curis, occupationibus, solicitudinibus teneretur.* Ecce enim, *omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, & siderum modo quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere.* Itaque *Seleucum sæpissime dicere solitum ferunt: si novissent multi, quam sit operosum & molestum tot duntaxat literas scribere, legereq́, diadema etiam abjectum ante pedes ne sublevarent quidem. Rex etiam ille subtilis iudicii, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: ô nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscit, quam multis solicitudinibus & periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet.* Cobares hoc idem Bessо imprimens, *magnum*, inquit, *onus sustines capite regium insigne. Hoc aut moderatè perferendum est, aut, quod abominor, in te ruit.* Quod parum agnoverat Regis Antigoni filius, cui sic pater: *Nescis, fili, nostram dignitatem, splendidam esse servitutem:* quæ non ἀναλγήτως aliquis his Senecæ verbis pertexat: *Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere. Audiendæ sunt tot hominum millia, tot disponendi libelli, tantus rerum ex toto orbe accurrentium congestus. Cum voles omnium rerum obliviſci, te cogita: intelliges, non magis tibi incurvari licere, quam illi, si quis modò est, cuius humeris mundus innititur.*

Isocrat. ad Nicol.

Dio Cass. lib. 51.

Senec. c. 26. ad Polyb.

Plutarch. tr. num Seni ger. Resp.

Valer. Max. l. 7. c. 2.

Curtius lib. 7.

Ælian. lib. 2. Var. c. 20. d. c. 26.

CUNCTA REFUNDIT.

Je rends à mon Seigneur ma gloire plus cherie,
Et l'honneur tout entier de mes heureux exploits,
C'eſt ce que doibt tout hõme, eſtant ſoubsmis aux loix
D'vn Prince, dont il tient la grandeur de ſa vie.

M. Vipsanius Agrippa Magnatum administros *qui sua ipsorum incolumitatis curam gererent*, post alia hoc etiam *observare iubebat, ut rei benè gestæ nomen* Dominis suis *reservarent*: & ipse mordicus hoc observavit, exemploque suo docuit. *quanto enim alios virtute anteibat, tantum ultrò concedebat Augusto: cui cum omnem suam sapientiam ac fortitudinem cum summo eius commodo utendam daret, honores ac potentiam ab eo recepta in benè merendum de aliis impendebat: unde factum est, ut neq; Augusto molestus unquam esset, neq; invidiæ aliorum obnoxius.* Hac eadem cautelâ *misit Ioab nuncios ad Regem Davidem, dicens, oppugnavi Rabbam, etiam intercepi ab urbe aquam. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne, si à me capta fuerit, nomini meo adscribatur victoria.* Nec Julius Agricola *unquã in suam famã gestis exultavit; sed ad authorem & ducem, ut minister, fortunam referebat: ut Soli subiecta corpora, quæ cum inde splendorem accipiunt, vicissim & reddunt*: præcipuè Luna, quam Astronomi docent, *in coitu cum sole non cerni, quoniam hausium omnem lucis aversa illò regerat, unde acceperit.* Nondum verò *desinam vetera exempla recitare: nam quæ maiores sibi gloriosa esse ducebant in faciendo, ea vos quoq; decet libenter audire, tanquam illorum virtuti faventes.* Sciatis igitur, idem etiam à maioribus nostris factitatum, utpote quibus *sua quoq; fortia facta gloriæ principis assignare præcipuum sacramentum erat.* Sed *quid prodest, inquis, aperta monstrare? Plurimum. Interdum enim scimus, nec attendimus. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Plerag; ante oculos posita transimus, sæpè animus etiam aperta dissimulat. Ingerenda est itaq; illi notitia rerum notissimarum, & subinde reducendus es ad memoriam. Non enim reposita illa esse oportet, sed in promptu. Quæcunq; salutaria sunt, sæpè agitari debent, sæpè versari: ut non tantum nota sint nobis, sed etiam parata.*

Dio Cass. lib. 49.

Idem lib. 54.

Lib. 2. Samuel. c. 12. vers. 26. & seq.

Tacit. in Agric. c. 8.

Plutar. in polit.

Plin. lib 2. nat. hist. c. 9.

Lycurg. orat. contra Leocratem.

Tacit. de mor. German. c. 9.

Senec. Ep. 94.

LXXIII.

INGENTES SPONDET TENER IMPETUS ANNOS.

De ce braue Ienet le fier henniſſement,
Nous promet en temps meur vn invaincu courage:
Des genereux eslans d'vn enfant en bas aage,
De iour en iour deuons aller bien eſperant.

IN *juvenibus alacritas commendatur*; quod innuunt illa Fabii: *Nec me offenderit*, inquit, *lusus in pueris, est & hoc signum alacritatis, neq; illum tristem semperq; demissum sperare possim exacta circà studia mentis fore, cum in hoc quoq; maximè naturali ætatibus illis impetu jaceat.* Ambros. de offic. Quintil. lib. 1. instit. c. 3.

Continuò pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur & mollia crura reponit,
Primus & ire viam & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere Ponto &c. Virgil. 3. Georg.

Dum aliud agit Virgilius noster describit virum fortem, qualis futurus Alcidamas apud alium depingitur Senec. Ep. 95.

——paulò ante puer; sed enim maturius ævo,
Robur & ingentes spondet tener impetus annos. Statius lib. 6. Theb.

Et Cyrus acri vehementiq; ingenio tam à primâ ætate extitit. Themistocli *præceptor dicere solebat: Tu nihil, fili, eris mediocre sed omninò vel magnum lumen vel pestis.* Nempe *primis juventutis motibus varius fuit & versatilis, solumq; suum sequebatur ingenium, nullis excultum literis. Unde magnas in utramq; partem faciebat institutorum vicissitudines, declinabatq; crebrò ad deteriorem: quod postea ipse confessus est, ferocissimos pullos iactans, ubi rectè formati fuerint, generosissimos evadere equos.* Haud absimiliter *eos qui naturâ se bonos esse arbitrarentur, doctrinam autem contemnerent, docere solebat Socrates, illas naturas quæ viderentur esse præstantissimæ inprimis institutione egere: cum quidem ostenderet, equos generosissimos, qui & animosi & acres sunt, si ab ineunte ætate domentur, utilissimos ac præstantissimos fieri; sin relinquantur indomiti, effrenatissimos ac pravissimos. Virtus enim etiamsi quosdam impetus ex naturâ sumit, tamen perficienda doctrina est.* Non possum non heîc apponere nimisquam appositè ad hanc rem ab Annæo dicta: *Ingenia*, inquit, *naturâ fortia iracundiam ferunt, nihilq; tenue & exile capiunt igneæ & fervidæ. Sed imperfectus ille vigor est, ut omnibus quæ sine arte ipsius tantum naturæ bono exurgunt. Sed nisi citò domita sunt, quæ fortitudini apta erant, audacia temeritatiq; consuescunt.* Plutarch. in Artaxerxe. Idem in Themist. Xenoph. lib. 4. memor. Quintil. lib. 12. instit. c. 2. Senec. lib. 2. de irâ c. 15.

LXXIV.

QUALIS NON UNDE SATUS.

Tout nud que tu le vois, il ne luy manque rien;
Ainſi, pour maintenir tes tiltres de nobleſſe,
Ne me produis en jeu tes parens & richeſſes,
Mais fais que toy marchant marche auſſi tout ton bien.

VErum est: *Fortes creantur fortibus: & bonis* Horat. l. 4. od. 4.
Est in iuvencis, est in equis patrum virtus &c.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Vtcunq; defecere mores
Dedecorant benè nata culpæ. Quare *maiorum* Agapet. parænes. ad Iustin. Imp.
nobilitate ne quis delicietur. Linum enim habent omnes generis authorem, & qui purpurâ byssoq; turgent, & qui paupertate affliguntur; tam qui diademate redimiti sunt, quam qui per cubicula excubant. Ne igitur lutulentum tacitemus genus, sed morum integritate gloriemur. Siquidem

perit omnis in illo Lucan. ad Pisonem.
Nobilitas, cuius laus est in origine solâ. Quales introducit Arrianus dicentes: *Melior sum te, nam pater meus consularis est. Alius* In Epict. l. 3.
ait, Ego tribunatum gessi, tu non. Quod si equi essemus, diceres, pater meus c. 14.
velocior fuit? Ego multum hordei habeo & fœni, aut elegantes phaleras? Ego verò te ista dicente responderem: Esto ita, curramus ergo. Age nihil ne tale est in homine, qualis est in equo cursus, quo præstantior & deterior discernantur? Nunquid est verecundia, fides, iustitia? His ostende præstantiorem esse te, ut præstantior sis tanquam homo. sin mihi hoc dixeris, te vehementer calcitrare, dicam & ipse tibi, eo te superbire, quod sit asini proprium. Vt ergò *venator* Plut. in Sylla.
non quærit quod tali cane natum sit, sed canem, & equus equum ipsum, non quod ex equo (quid enim si mulus ex equo natus sit?) ita vir Politicus totâ viâ erraverit, si in rectore non requirat quis sit, sed è quibus. Romani *pro-* Vell. Paterc. l. 2.
fectò hoc senserunt, in cuiuscunq; animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Neq; novus hic mos Senatus populiq; Rom. est, inquit ille, *putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Ergo dum nullum fastiditur genus* (dicitur apud Livium) *in quo virtus eniteret, crevit Imperium* eorum. lib. 4. c. 3.
Inter Stiliconis laudes hoc quoq; reponit poëta:

Non obruta virtus Claudia. paneg. 2. in Stilic.
Paupertate latet: lectos ex omnibus oris
Evehis, & nunquam meriti cunabula quaris.
Et qualis, non unde satus &c.

DEFERVERE NECESSE EST.

Chaſque choſe a ſon temps, les bou-bouillonnants (mouſts
Au tonneau furieux chaſſent ainſi les lies.
D'vne ieune chaleur les bouillantes ſaillies
Se paſſent en douceurs gracieuſes à tous.

Est naturâ homo vino simillimus
Quodammodo: nam vinum sicuti novum
Necesse defervere est; sic prorsus & hominem
Ac primum quidem veluti florescentem aliis esse iniurium,
Post durum fieri: hæc autem quæ dico omnia
Vigere cum desierint, atq; ille exhauserit
Stultitiam amentem quæ supernè innatat,
Velut potui sit idoneus, ætatem nactus bonam:
Ac in reliquum tempus degit gratus omnibus. Alexis Comicus apud Athen. lib. 2. c. 2.

sic nimirũ *ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates, quæ si ita erũpunt ut nullius vitã labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi solent: quoniã includi ex toto non patiuntur: cùm verò inclusæ diutius & primâ ætate cõpressæ & constrictæ fuerunt, subitò se nonnunquam profundunt atq; eiiciunt universæ; non aliter quam quemadmodum musto dolia ipsa rumpũtur & omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris ejectat.* Cic. pro M. Cœlio. Senec. c. 10. de tranq. Cic. lib.

Quam vim non inelegánter *fretum adolescentiæ, fervorem & freta ætatis* à fervendo nonnulli vocarunt. *Vt enim temulenti, sic calidi sunt iuvenes naturâ.* Itaque *eos adhuc confusa quædã & quasi turbata non indecent. Quæ causa est, cur etiam boni pædagogi non omnibus puerorum cupiditatib. adversentur, sed sæpe conniveant, interdũ etiam obsequantur: quasi animus ille huiusmodi affectus non planè possit evomere, nisi aliquando iis obsecutus fuerit, & ipsâ actione saturatus.* Senec. Ep. 83. Flor. l. 1. c. 26. Senec. Troad. Lucret lib. 4. Arist. lib. 2. Rhet. c. 12. Plin l. 3. Ep. 1. Simplic. Epict. c. 31.

Quare *detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatib. denegentur, non semper superet vera illa & directa ratio, vincat aliquando cupiditas, voluptasq; rationem: dummodo illa in hoc genere præscripto, moderatioq; teneatur: parcat iuventus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam: ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atq; famam: ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne intersit insidiis, scelere careat, postremò cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atq; ad inanes hasce adolescentiæ cupiditates, revocet se aliquando ad curam rei domesticæ, rei forensis, Reipubl. ut ea quæ ratione anteà non perspexerat, satietate abiecisse, experiendo contempsisse videatur. Ac multi & nostrâ & patrum maiorumq; memoriâ summi homines & clarissimi cives fuerunt, quorum cum adolescentiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutes firmatâ iam ætate extiterunt. Nam & qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico ut non cadant, titubant. An non clarissimos nominis Romani viros, illos Catulos, Scipiones loquor, aliquantisper sibi luxuria vindicavit? quos etsi ad portum mutati in melius reduxerint flatus, diu tamen vitiorum turbo iactavit, & naufragos atq; fluctuantes ab illis, quibus mersabantur, erroribus, ægrè atas recepit.* Cic. d. orat. Pacat. paneg.

LXXVI.

NON MATURA PRIUS QUAM PUTRIA.

Ce Nefflier aux humains eſt comme d'vn grand liure,
Ou depeinte liſons l'humaine infirmité,
Son fruit ſe ſent pourri quant & maturité ;
De meſme mourons nous, lors qu'apprenons à viure.

Rempubl. eam in quâ senum consilia, iuvenum hastæ primum locum obtinent, salvam esse arbitror. Non enim manus, non pedes, non corporis robur, civitatis duntaxat partes, bonaq; sunt: ipsa anima & animæ bona, iustitia, modestia, prudentia, quæ serò tardèq; maturescunt, & sua fiunt, ad hanc pertinent. quo eodem collimat illud: Plut. lib. num feni ger. resp. Ibid.

Seris venit usus ab annis. Et *primum profectò puerorum sensum esse dico voluptatis atq; doloris, atq; hæc duo esse in quibus primum virtus & vitium animo innascuntur. Beatus autem est, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam veraq; opiniones assequi possit.* Distinctius hæc tractat orator: *Cursus est, inquit, certus ætatis & via una naturæ, eaq; simplex, suaq; cuiq; parti ætatis tempestivitas est data. Vt enim infirmitas puerorum, & ferocitas iuvenum, & gravitas iam constantis ætatis, sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tempore percipi debeat,* quam eandem *ætatis maturitatem ad prudentiam* appellat. *Fortitudine enim, inquit Bion, cum sumus iuvenes, utimur: at cum senescere incipimus, prudentiâ valemus, senectutis prolixa beneficio multis experimentis instructi. Itaq; usu peritorum, & senum, aut prudentium pronunciatis atq; opinionibus, quæ demonstrari non possunt, non minus quam demonstrationibus attendendum, atq; obtemperandum est; nam quoniam usu oculum quendam consecuti sunt, principia facilè cernunt.* Et hic est ille *mentis oculus, qui tunc sanè acutè incipit cernere, cum primum corporis oculus deflorescit.* Unde *Theophrastus moriens, accusasse naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum id maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum, si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ, hominum vita erudiretur. querebatur igitur se tum, cum illa videre cepisset, extingui;* paucis his verbis multa dicens: *nos verò, cum vivere incipimus, tum morimur.* Sic mespila non ante esui sunt, non ante matura, quam cum penè computruerunt. Commodùm etiã huc transferri possunt quæ Accius ad Pacuvium: *quod in pomis est, inquit, esse aiunt in ingeniis: quæ dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia & iucunda. Sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atq; in principio sunt vivida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atq; ætas mitificet.* Ovid. lib. 5. met. Plato l. 2. de Ll. Cic. in Cat. mai. l. 4. Ep. fam. 4. Laërt. in Bion. Apul. 5. metam. Aristot. lib. 6. Ethic. c. 12. Plato in sympos. Cic. lib. 3. Thusc. Laërt. vit. Theophr. Gell. l. 13. c. 2.

SIC RECTIOR.

Le trop d'vn vif eſprit reſſemble à la ramure
Inutile en ce bois qui ſe peut esbrancher,
Mais comme impoſſible eſt de bonne l'embrancher ;
Ainſi ne donne l'art ce que nie nature.

Vadam non nisi melioribus innascuntur ingenii, sicut validâ arbustâ & lætâ quamvis neglecta tellus creat & alia; fœcundi soli sylva est. Ita quæ tibi sæpe bonam indolem in malis quoq; tuis ostendam, sed non ideò vitia non sunt, si naturæ melioris indicia sunt, inquit Philosophus Aulicus: unde non malè Orator *vult esse in adolescente unde aliquid amputet*: pessimè Phœdræ Lena, cuius hæc ad Hippolytum verba sunt: Senec. 2. ad. 15. Ibid. Cic. li. 1. de Or.

Quacunq; lætis tenera luxuriat satis
Arborq; celso vertice evincit nemus,
Quam non maligna cædit aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt
Si nobilem animum vegeta libertas alit. Senec. Hippol.

Adeò malesuada illa impotentiam ac licentiam libertatis nomine insinuat, quam tu non exaudi:

Nam deteriores omnes sumus licentiâ.
Quem non corrumpit pubes effrena? novæq;
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Sylva comas tollit fructumq; expirat in umbras. Arctiore

disciplinâ minor ætas ad probitatem iustitiamq; formetur, quæ nisi in metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus evadet. Quare paulatim Terent. Heaut. act 3 sc. 1. Stat. 5 sylv. 2. Lactant c. 19. de verò cultu.

Ramos compesce fluentes Virg 2. Georg.

imitatus bonos Agricolas, quorum alius, Id. lib. 1. Geog.

ne gravidis procumbat culmus aristis,

Luxuriam segetum tenerâ depascit in herbâ, alius *arbores circumcidit ne proceritatem rami premant: omnia* enim *celerius adolescunt stolonibus ablatis, unamq; in stirpem redactis alimentis.* Hanc eandem rem paulo clementius tetigit Ethicus: *Quemadmodum*, inquit, *agricultura inexpertus, regionem quam densis cernit obsitam virgultis plantisq; sylvestribus incultam, feris refertam, fluminibus ac fontibus variis irriguam, cœnoq; plurimo quoquò versum inviam, stoccipendit, rei verò rusticæ gnarus hæc omnia fertilitatis indicia esse cognoscit, terræq; ubertatem hinc discernit: ita & absurda, prava ac importuna magnæ aliquando producunt naturæ, quæ nos confestim, quandoquidem asperitatem ac stimulos haud ferre possumus, præcidi penitusq; eradicari oportere arbitramur. At optimus ille iudex utile ac generosum ex his discernens, ætatem horamq; rationis & virtutis cooperatricem, quâ naturâ fructum debitum & opportunum ferat, benignè præstolatur.* Senec. 2. elem. c ult. Plin. l. 17. c. 13. Plutarch. de serâ num vindict.

Claud. 4. conſ. Hon.

CASUS ARTESQUE DOCET.

Peres, qui deſirez d'auoir ſages enfans,
Enſuiuez ce Daulphin: Par exemple & par crainte
Frayez leur le chemin d'vne vertu non feinte,
Afin que leur bonheur bienheure vos vieux ans.

Delphinos parvos semper aliquis grandior comitatur ut custos. Idem affirmans Polyhistor, *si quando*, inquit, *lasciviunt novi fœtus, à maioribus datur adultior gregi custos, quo magistro eludere impetus incurrentium belluarum addiscant.* Ex quo hoc extruo dogma, *longum iter esse per præcepta, breve & efficax per exempla. Plato & Aristoteles & omnis sapientium turba plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Polyænum magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Neq; verò ut exesi arborum vetustate marcescentium trunci stirpium proximè satarum incrementa prohibent: ita quoq; adolescentium incrementa supprimere decet, verum candidè illos suscipere & semet illis facilem præbere, neq; etiam admonitionibus tantum, verum & consiliis illos iuvare.* Ita, de se civibusq; suis ait Plinius junior, *erat antiquitus institutum ut à maioribus natu non auribus modò, verum etiam oculis disceremus, quæ faciendæ mox ipsi, ac per vices quasdam tradendæ minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim Castrensib. stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo assuescerent: inde honores petituri assistebant curiæ foribus & consilii publici spectatores antequam consortes erant. Suus cuiq; parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisq; & vetustissimus pro parente; omnem deniq; senatorium morem, quod fidelissimum præcipiendi genus, exemplis docebantur. Maiores natu in conviviis ab tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius, quid etiam utilius certamine? pubertas canis suum honorem reddebat; defuncta virium cursu ætas ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigenæ studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii &c. Pater igitur filio ea exponens quæ ex usu futura sunt, quonampacto non plurimum efficiet?* contrà *quo pacto vel liberè vel fideliter vel confidenter, regis, patris, amici more præceperint ij, qui & imperij maiestate carent, & affectione, vi naturalis amoris universas alias superante, & amicitiâ, fiduciam augente?* Adde quod rarò ingenui Doctores isti mercenarii. *Apud Lacedæmonios patrum ad convivia pueri quoq; sicut ad ludum temperantiæ ducti, ventitabant: ibi sermones de republ. excipiebant, Doctores conspiciebant ingenuos. Christa factis & cede docebat*

Natorum armigeram pugnas tractare cohortem.

Sed non patiuntur me tenuioribus exemplis insistere fortissimi Duces. *Africanus rudimenta militiæ sub patre toleravit, Hannibal puer in tentoria Hispana successit, Philippæa castra Alexander nondum Magnus implevit,* Adeò meritò *Rex Agasicles admiranti cuidam, quod, cum magnâ disciendi teneretur cupiditate, Philophane Doctore non uteretur: eorum, inquit, me discipulum esse oportet, quorum etiam sum filius.*

Plin. l. 9. c. 8. Solin. c. 18.

Senec. Ep. 6.

Plutar. num Senex ger. resp.

Lib. 8. Ep. 14.

Val. Max. lib. 2. c. 1.

Manuel Imp. præf. ad fil. Ibid paulo post.

Plutarch. Lycurg.

Sil. It. lib. 7.

Pacatus Paneg.

Plut. apoph. Lac.

LXXIX.

Ovid.l.8.metam. PRÆTENTAT VIRES.

Vous qui vous engagez en carriere trop large,
De ceſt' aigle prenez un bon enſeignement.
Il vaut mieux tout quitter, qu'apres honteuſement
Succomber ſoubs le faix d'vne trop grande charge.

Metiri se quemq; suo modulo ac pede verum est, Horat. lib. 1. Ep. 7
Ad quas igitur res aptissimi erimus, in his potissimum elaborabimus.
Quæ deliberatio est omnium difficilima. Ineunte enim adolescentiâ, cum est Cic. 1. offic.
maxima imbecillitas judicii, tunc id sibi quisq; genus ætatis degendæ constituit, Ibid.
quod maximè adamavit. Itaq; ante implicatur aliquo certo genere, cursuq;
vivendi, quam potuit, quod optimum esset, iudicare. Quare ne impingatur,
ante omnia necesse est, seipsum æstimare, quia ferè plus nobis videmur posse, quam Senec. c. 4. de
possumus. Alius eloquentiæ fiduciâ prolabitur, alius patrimonio suo plus impera- tranq. ani.
vit, quam ferre posit: alius infirmum corpus laborioso oppressit officio: quorun-
dam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant: quorundam contumacia non facit ad aulam &c. Suum quisq; noscat in- Cic. ibid.
genium, atremq; se & vitiorum & bonorum suorum judicem præbeat, ne scenici
plus, quam nos, videantur habere prudentiæ: illi enim non optimas, sed sibi ac-
commodatissimas fabulas eligunt. Æstimanda sunt deinde ipsa quæ aggredimur, Senec. c. 5. de
& vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim sem- tranq.
per plus esse virium in latore, quam in onere. Necesse est opprimant onera, quæ Epist. c. 59.
ferente maiora sunt. Sed & si quam personam, quæ vires tuas superat, induceris,
tum eam indecorè geres; tum eam, quàm sustinere posses, negliges. Itaq; *ma-*
gis nullius interest, quam tuâ, non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas. Liv. lib. 24. c. 8.
Rem in paucæ conjicit Plutarchus: *non quidvis*, inquit, *unicuiq; con-* Stob. serm. 19.
venit, sed oportet sententiæ Apollineæ morigerum, seipsum agnoscere, deinde u-
num aliquod aptum ingenio suo studium sequi, non aliud aliàs vitæ genus æmu-
lando, distrahere naturam. In paucissima Poëta:
Qui sua metitur pondera, scire potest. Martial. lib 12. Ep. 58.
Faciunt hoc aquilæ, quippe *quæ captæ non protinus ferunt, sed cum corri-* Aristoteles lib. 9.
puerint & sustulerint, deponunt, expertaq; iam pondus requiescunt. Opus est hist. an. c. 32
enim ad notitiam sui experimento; quid quisq; posset, nisi tentando, non didicit. Plin. l. 10. c. 3. Senec. c. 4. de ap.

LXXX.

NON OMNIA POSSUMUS OMNES.

Vne clef ne peut pas ouurir toute ſerrure:
Auſſi tous les humains divers ſont en humeur,
L'un profond en conſeil, l'autre bon orateur:
Ainſi l'a voulu Dieu, ainſi le veut Nature.

PRoverbialis est hæc sententia, quâ vix tritiorem aliam invenias, tantus heic autorum consensus. *Vt enim in corporibus* (suppeditabit hoc nobis oratorum princeps) *magnæ dissimilitudines sunt, alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemq; in formis alios dignitatem inesse, alios venustatem: sic in animis existunt etiam maiores varietates. Vtiq; alius alio ingeniosior est: nec omnes per omnia, sed certi per certa vel meliores vel deteriores inveniuntur.* Cic. 1. of.

Senec. Ep. 94. l. 1. §. 5. C. de vet. iur. enucl.

Mortalibus ex quo
Tellus cepta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro. Claudian. pan. 1. in Stilic.

Nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. *Itaq; tanquam cæteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur. Magna quoq; ingenia quando plus, quam in uno eminuerunt opere? Virgilium illa felicitas ingenii in oratione solutâ reliquit. Ciceronem elocutionis fluentia in carminibus destituit. Orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur. Eloquentissimi viri Platonis oratio, quæ pro Socrate scripta est, nec patrono nec reo digna est.* Cic. lib. 2. de Invent.

Senec. procem. lib. 3. controv.

Quare quia *non possumus omnia per nos agere, quandoquidem alius in aliâ est re magis utilis, idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur.* Cic. pro S. Rosc. Amer.

Sed & eadem de causâ, *quemq; cuiq; functioni pro indole suâ admovere decet, & suum cuiq; honorem tribuere. Habet enim & Asinus suum usum, sed non tantum quantum bos. Habet canis, sed non quantum famulus. Habet famulus, sed non quantum cives. Et hi, sed non quantum magistratus. Non ergò eò quod alia præstantiora sint, ea contemnenda sunt, quæ suum usum præstant.* Plutarch. in pol.

Arrian. Epict. lib. 2. c. 23.

LXXXI.

SUNT MALA MIXTA BONIS.

Icy bas n'y a point de bonté ſans malice,
Ainſi qu'une grenade, honneur des beaux iardins,
Ne laiſſe pas d'auoir de vicieux pepins:
Perſonne auſſi ne vit en ce monde ſans vice.

CRates Thebanus *dicebat, posse bile non esse invenire, qui lapsu non sit,* Laert. in vit. eius
sed veluti in malo Punico granum etiam aliquod putridum esse. quod
non solum publicè verum est: *Etenim nullus est locus usquam definitus,* Stob. Serm. 85.
in quo omnes aut improbi gignantur, aut probi: sed & privatim *nemo no-* Petron. sat.
strùm non peccat; homines sumus non dij: & verò penitus in nullo peccare di- l. 1. § 14. C. de
vinitatis magis quam mortalitatis est. Vbi enim istum invenies quem tot sæ- vet. iur. enucl.
culis quærimus? pro optimo est minimè malus. Quo tendunt illa Horatii: Senec. de tranq. anim. c 7.

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est, Horat. lib. 1. sat. 3
Qui minimis urgetur: — *Propemodum universi,*

qui propter virtutem in admiratione sunt, non abstinuerunt ab omnibus Manuel Imp. or. 6.
quæ vitare debebant: his enim hoc, istis illud, omnibus autem omninò ali-
quid accidit, ut universi agnoscerent, sese homines esse. Postremo adhuc ne- Plin. pan.
mo extitit cuius virtutes nullo vitiorum consimio læderentur. Peccavimus omnes Senec. li 1. clem.
alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi, aut alienâ nequitiâ c. 6.
ablati, alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus, & innocentiam inviti ac
renitentes perdidimus: nec delinquimus tantum, sed usq; ad extremum ævi de-
linquimus. Etiamsi quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum
amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit. Quotusquisq;
ex quæstoribus est, qui non eâ ipsâ lege teneatur quâ quærit? quotusquisq; accu-
sator vacat culpâ? Et *nescio an nemo ad damdam veniam difficilior sit, quam*
qui illam petere sæpius meruit. Quamobrem *præstaret in nostra nos mala* Man. Imp. or. 6.
potius, quam proximorum intentos esse. Jam verò *acutè aliorum vitia cer-*
nimus, in nostris nec oculum habemus nec aurem: contrà *quæ in aliis eximia* ibid.
sunt, plerunq; non agnoscimus: at multa, à quibus absumus, nobis ipsi vindi-
camus. Quapropter *hoc amplectendum potius, ut dimissâ curiositate inqui-* Ib.
rendi in delicta fratrum, propria examinemus mala, & quoniam vivitur non Cic. lib. 1. off.
cum perfectis hominibus, plenisq; sapientibus, sed cum iis, in quibus præclarè a-
gitur, si insunt simulacra virtutis, etiam hoc intelligendum puto, neminem Man. Imp. præf.
omninò esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat, quan- reg. educ.
doquidem *nemo bonorum prorsus omnium exsors est.*

QUI NUNQUAM SIC, NUNQUAM MELIUS.

Le chef d'œuure ne va auant l'apprentiſſage,
Il eſt donné à tous, d'aſpirer au haut bout,
Mais ne faut perdre coeur, s'il ne vient tout à coup,
Car une heure ou un iour ne fait pas l'homme ſage.

Vix quispiam transit in bonum nisi ex malo: Publ. Syrus.
nam illud semper factum est, nullum sine venia placuit ingenium. Da Senec. Ep. 114.
mihi quemcunq; vis magni nominis virum: dicam quid illi ætas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimulaverit; multos dabo quibus vitia non nocuerint, quosdam quibus profuerint. Siquidem haud mediocriter magna aliquando exorbitant naturæ, ob subtilemq; ingeniorum vehementiam efficaciamq; quiescere non valent, sed in salo fluctuant, antequam ad stabiles sedatosq; perveniant mores. Adeò *nulla res consummata est, dum incipit, & in omni alio negotio longè semper à perfecto fuére principia.* Quilibet sanè nostrûm Plutar de serâ num. vindict. Senec lib. 6. nat quæst. c. 5.

Editus in lucem iacuit sine viribus infans.
Mox quadrupes rituq; tulit sua membra ferarum,
Paulatimq; tremens & nondum poplite firmo
Constitit, adiutúsq; aliquo conamine nervis.
Inde valens veloxq; fuit &c. Ovid. li. 15. met.

Propius hæc retexunt illa Quintiliani: *Est etiam (* inquit *) sua studiis infantia. nam ut corporum mox etiam fortissimorum educatio à lacte cuiusq; initium duxit: ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum. Neq; est ulla disciplina, in quâ non peccando discatur. Nam ubi quid perperam administratum cesserit improsperè, vitatur quod fefellerat. Quamobrem de nullis omninò desperandum, nisi qui magnâ quadam insaniâ de scipsis desperarunt.* Nec tamen interim *differendum est Tyrocinium in senectutem, nam quotidiè metus crescit, maiusq; fit semper quod ausuri sumus, & dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere iam serum est: quare fructum studiorum iam viridem & dulcem promi decet, dum & venia & spes est, & paratus favor, & audere non dedecet, & si quid desit operi, supplet ætas, & si qua sunt dicta iuveniliter, pro indole accipiuntur.* Quint. l. 1. Inst. r. Columel. l 1. de re rust. c. 1. Man. Imp. or. 6. Quint. l. 12. Inst. c. 6.

DUM FAVERIT ILLE.

Vn doux Zephire ſert à la barque d'auance:
Ainſi eſt aux ſubiects du Prince la faueur,
Qui de ce nouueau feu leur refchauffant le cœur
Ne deſirent rien plus que la douce preſence.

VT navem ventus secundus, ita favor ingenia movet ac promovet. Quod versus illi Nasoniani suggerunt:

Excipe placato Cæsar Germanice vultu
Hoc opus, & timidæ dirige navis iter.
Da mihi te placidum: dederis in carmina vires,
Ingenium vultu flatq́, caditq́ tuo.
Pagina iudicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda Deo. Ovid. li. 1. Fast.

Adstipulatur Jamblichus, qui, *Omne honoratum*, inquit, *augetur, contemptum immi-nuitur. Et hoc signum est clarissimum Imperii benè administrati. Promovet enim subditos ad honesta studia, & convenientem singulis dignitatem attribuit, atq́ civitates optimis studiis implet.* Exempla passim obvia sunt. Constat *artificiis multis Alexandri M. saeculum, clariúsq́ felix ingeniis fuisse, ut quibus testem contigerit arbitrumq́ nanciscì, eum acri ad æstimanda artium specimina iudicio, tum verò suppeditantibus opibus ad maxima quæq́ opera pretia autoribus ipsis persolvenda. Vt enim fruges* (addit idem autor) *aeris temperie liquidiorisq́ cœlo exuberant: haud secùs bona artes eximiaq́ ingenia benignitate, honorificentiâ, humanitateq́ regiâ evocantur, contraq́ invidiâ, sordibus, morositate eorum, qui rerum potiuntur, restinguuntur & languescunt. Neq́ enim cuiquam tam clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorq́ contingat: at verò ut corpora lentè augescunt, citò extinguuntur: sic ingenia studiaq́ oppresseris facilius, quam revocaveris.* Stobæ. ser. 44. Plutar. lib. 2. de Alex. virt. Ibid. Plin. li. 6. Ep. 23. Tacit. Agr. c. 3.

Producam aliud recentius exemplum: *Temporibus Augusti dicendi*, inquit annalium concinnator *non defuêre decora ingenia:* cluisve rei causam è Tranquillo arcessam: quia, inquit ille, *ingenia seculi sui omnibus modis fovit: recitantes & benignè & patienter audivit: nec tantum carmina & historias, sed & orationes & dialogos:* quod dubio procul optimus ille principum fecit eadem consideratione quâ C. Cæsar Caligula *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta SCtis abolita requiri, & esse in manibus lectitariq́, permisit, quando maximè suâ interessent, ut facta quæq́ posteris traderentur.* Id lib. 1. ann. cap. 1. Sueron. Aug. c. 89. Id Calig. c. 16.

IRREVOCABILIS.

Le caillou desbandé de ce chanure fliſquant
Ne ſe peut rattraper: de meſme la parole
Eſchappe ſe perd, & loin de nous s'enuole,
De penſer auant dire vn chacun enſeignant,

Contemplator benè, prinsquam mandes, quæ fieri velis; sic fiet, ut semper prudenter iubeas, quæ fas est. Lubricum enim est instrumentum linguæ, maximumq; affert negligentibus periculum. Agapet. Patrn. ad Imp. Iustinia.

Nec durus ulli emissus è manu lapis,
Neq; sermo linguâ facilè compesci potest. Menander.

Nam *semel emissum volat irrevocabile verbum.* Præcipuè verò *laturum sententiam diu multumq; cunctari oportet, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari. Etenim & decet & expedit, Regum de iure decreta esse immutabilia, ut probatas leges.* Quam turpe in duce *quæ iusserat, vetare, quæ vetuerat, iubere:* Contrà quam pulcrum, si idem ipsi quod Theodosio dici possit: *Nihil ita labris primoribus polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sanciat. nemo iam beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis: quia tam sunt certa, quæ spondes, ut tum videantur accepta, cum spondes.* Quam denique egregia illa, quæ de se profert, æternâ laude dignissimus Imperator Fridericus I. Legatis Urbis Romæ iusiurandum à sese petentibus ita respondens: Horat. l. 1. Ep. 18. Ammian. Marc. lib. 29. Isocr. ad Nicocl. Tacit. 3. hist. 71. Latin. Pacat. paneg.

Regem iurare minori
Turpe reor, nudo ius & reverentia verbo
Regis inesse solet, quovis iuramine maior,
Non decet in labiis versari lubrica Regis,
Non decet ore sacro mendacia cudere Regem,
Sancta & plena suo sunt Regia pondere verba,
Dicta semel nullam patiuntur iure recursum. Guntherus l. 1.

Videtis, quam *principem studium veritatis ornet? Ac navium quidem robur in carina consistit; ædium in fundamento: eius autem, cui perpetuò curæ est populorum & urbium salus, in hoc, ut quidquid annuerit caput, vel ipsis servetur hostibus.* Quæ posteriora redolere videntur illa Jovis Homerici verba ad Thetin: Manuel Educ. reg. c. 22.

Non enim meum irrevocabile iterum neq; dolosum
Neq; imperfectum, quodcunq; capite annuam. Hom. Iliad a.

Hunc imitare, teque sic imitandum exhibe reliquis, quisquis legisti Salomonium illud: *Iustitiâ firmari solium*: Quandoquidem *fundamentum iustitiæ est fides, id est, dictorum conventorum constantia & veritas. Nec enim ulla res vehementius remp. continet*: unde *supremum humanarum rerum vinculum* appellatur. Contrà ubicunq; hæc exulat, ibi *Instabile regnum est*. Siquidem hoc dictat jus illud primævum: *Non servanti fidem non esse servandam fidem*, de quo consulendi JCti. Prov. c 16. v. 12. Cic. 1. off. Id. 2. off. Quint. decl. 343. Senec. in Thyeste. In c. frustrà de Reg. Jur. in 6.

Sil. Ital. l. 15.

NEC FERRO VINCERE NEC AURO.

Ni l'or, le feu, le fer regnans de toute part
Ne pourront separer cette foy mutuelle:
Cette-cy eſt des Loix la plus ſeure tutelle.
Aimons la, ſuiuons la, comme vn riche eſtendart:

Dextra *in fide porrigitur*: sed & *dextras hospitii insigne* fuisse legimus. Hinc vulgò pro fidei symbolo duas invicem stipulantes manus pingunt: quibus usus omnium sæculorum memoriâ celebrandus Heros, *Casimirus Palatinus*, additâ hac Epigraphe: *Constanter & sincerè*. Nos nostram à *Silii Italici* lib. 15. mutuati sumus, cuius summa in idem recidit, quod ait Seneca: *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio: ure, inquit, cæde, occide, non prodam.* Ante omnia itaq; *grave est fidem fallere* & imitari Parthos apud quos *fidei dictis promissuq; nulla, nisi quatenus expediebat.* Quanto laudatiores Romani quib. *summa fœderū religio* erat, summa fidei. Non exaggerabo hæc pluribus exemplis, nec Regulos, aliosq; infinitos laudabo, contentus unâ Voculæ vocula, *Tolerant*, inquit ille, *cum maximè inopiam obsidiumq; apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis demoventur.* Similes apud notæ melioris Oratorem Athenienses olim fuisse dicuntur: *qui nec auro, nec argento, nec ferro, nec re deniq; ullâ vinci potuerunt.* Et hæc est illa virtus, quæ Stiliconem

Plin l. 11. Nat. hist. c. 44. Tacit. l. Hist. 54.

Ep. 81.

lib. 1. ff. de pec. constit. Iustin. l. 41. pr. Flor. lib. 2. c. 6.

Tac. lib. 4. hist. c. 58.

Aristid. Panathen.

docuit nullo vivescere fuco,
Nunquam falsa loqui, nunquam promissa morari,
Invisos odisse palàm, non virus in alto
Condere, non latam speciem pretendere fraudi,
Sed certum mentiq; parem componere vultum:
Occultò sævire vetat, prodesse remittit.
Hæc & amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroq; adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium parvo strepitu, nec vincula noxæ
Dissolvi patitur, nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterq; minoris
Officii magniq; memor superare laborat:
Vtq; hostes armis, meritis sic vincit amicos.
Hæc fovet absentes, hæc longè sola remotis
Consulit, hæc nullis avidam rumoribus aurem
Pandit, & ignarum nunquam læsura clientem
Insidiosa tuos alienant murmura sensus,
Non vivis annexus amor meminisse sepultos
Desinit; in prolem transcurrit gratia patrum.

Claud. pan. 2. in Stilicon.

POTIUS CESSERO VITA.

Je garderay fidele à l'esgal de ma vie
Ce que i'ay vne fois à mon Maiſtre promis,
N'abandonnant pour rien le lieu qu'il m'a commis.
La vie & point la foy me peut eſtre rauie.

EXempla Caninæ fidelitatis, in pueros notæ, referre supervacuum est, nec patitur angustus iste circus, cui me incluſi. Ad rem ipſam accedo, virosque ſtrenuos vitâ potius, quam fide, locove ſibi concredito cedere dico. Producendi verò ante omnes Dilli Spartani ad Thermopylas contrà decies centena millia Perſarum pugnando occumbentes, ſub Leonidâ duce: *quorum virtutibus quis non in admirationem rapiatur?* *Qui unâ mente ſtationem à Græciâ ſibi attributam non deſerendam eſſe ſtatuerunt, animaſq; ſuas profuſè libertati Græciæ totius impenderunt, & honeſtè vitam amittere, quam turpiter retinere, conſultius iudicarunt.* Addendi forent incolæ Celænarum, modò perſtitiſſent in verbis ſuis, Alexandro M. deditionem poſtulanti, redditis: *ſe ſcire inexpugnabiles eſſe, ad ultimum pro fide morituros.* Maior perſeverantia Athenienſibus illis, qui cum Macedonibus *prælio commiſſo, adverſis vulneribus omnes loca, quæ tuenda à Ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt*: eâdem *ſanctitate diſciplinæ, quâ fidem ſocialem uſq; ad perniciem ſuam coluerunt* Saguntini. Sic milites Romani, qui in veteribus caſtris, in verba Veſpaſiani à Civili adigendi, *eſſe ſibi Vitellium principem* reſpondebant, *pro quo fidem & arma uſq; ad ſupremum ſpiritum retenturos.* Germanicus etiam *moriturum potius quam fidem exueret* clamitabat. *Caſſ. Scæva Centurio* C. Julii Cæſaris, *excuſſo oculo, transfixus femore & humero, centum & viginti ictibus ſcuto perforato, cuſtodiam portæ commiſſi caſtelli retinuit.* Qui plura deſiderat, Voculam audiat, fugam ſuadentibus ediſſerentem, *quoties Romanæ Legiones perire præoptaverint, ne loco pellerentur*, quoties *ſocii exſcindi urbes ſuas, ſeq; cum coniugibus ac liberis cremari pertulerint: neq; aliud pretium exitus* (additur ab eodem) *quam fides famaq;.* Non te dimittam, Lector, ſine corollario, quo inſtruaris utcunque, quî ad hanc tibi fidem obligaveris homines: ab Hiſtorico Patavino illud inſinuatur: *Nec tamen is terror*, inquit, *cum omnia bello flagrarent*, Hannibale populationibus Italiam pervagante, *fide ſocios demovit; videlicet, quia juſto & moderato regebantur Imperio: nec abnuebant, quod unum vinculum fidei eſt, melioribus parére.* Unde patet, quam verè dixerit pars melior Senatus Romani de Privernatibus: *nunquam eo loco, ubi ſervitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe.* Nimirum: *vult ſibi quiſq; credi; & habita fides, ipſam plerumq; obligat fidem.*

Vide Plin. lib. 8. Nat. c. 40. & Æliam lib. 7 de animn. c. 13. & 27.

Diod. Sicul lib. 11. c. 11.

Curt. lib. 3. pr.

Iuſtin. lib. 9.

Liv. lib. 21. c. 7.

Tac. li. 4. hiſt. c. 21

Idem. 1. ann. c. 35.

Sueton. C. Iul. Cæſ. c. 68.

Tacit. l. 4. hiſt. c. 58.

Liv. lib. 22. c. 13.

Id. lib. 8. c. 21.

Id. cap. 22. lib. 22.

NON HABET FUNDUM.

Ayant ſondé, pouſſé jusques au plus profond,
Lecteur, veux tu ſçauoir, que ce peut eſtre l'homme?
Rien que plis, & replis, & pour te dire en ſomme,
Vn Dædale en contours, un abysme ſans fond.

Tv quicunq; es, qui sceptra tenes,
Licet omne tuâ vulgus in aulâ,
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.

Senec. Herc. Oeteo.

Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? inquit ipsa veritas. Theseus hoc plus vice simplici expertus; unde nata ipsius hæc querela:

Ierem. 17. v. 9.

O vita fallax abditos sensus geris,
Animúq; pulcram turpibus faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantq; molles dura: & ferè
Homo semper in os fert aliud, aliud cogitat.

Senec. Hippol.

Publ. Syrus.

Cum igitur in animis hominum tanta latebræ sint, & tanti recessus, adeoq; tantus hodie sit occursus illorum, qui, ut vestitum, sic sententiam aliam domesticam, aliam forensem habeant,

Cic. p. M. Marc. Cic. lib. 4. de fin.

Eurip. Helenâ.

Prudente diffidentiâ
Haud alia res utilior est mortalibus.

Summa tua virtus, monuit fratrem frater, *eosdem homines & simulare tibi esse amicos, & invidere coget? quamobrem* Πάντα ἄριστον *illud teneto: nervos atq; artus esse sapientiæ, non temerè credere.* Idem Tyronem suum sortitum provinciam præmonuit alius, scribens: *plurimum tibi credas, nec cuiquam satis fidas, deinde scias, si quis forte te, quod abominor, fallat, paratam ultionem: quâ tamen ne sit opus, etiam atq; etiam attende. Neq; enim tam jucundum est, vindicari, quam decipi miserum.* Et semper *melius est, providere, quam pœnitere, & improbis non credere, cordatius est, quam ubi eis credideris, eosdem incusare. Turpissimam aiebat Fabius imperatori excusationem esse, Non putavi. Ego turpissimam homini puto. Omnia puta, expecta: & in bonis moribus aliquid existet asperius. Fert humana natura infidos animos, fert ingratos, fert cupidos, fert impios. Cum de moribus unius iudicabis, de publicis cogita. Vbi maximè gaudebis, maximè metues. Vbi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non desunt, sed quiescunt.*

Cic. lib. de petit. consul. ad Tullium fratr.

Plin. lib. 6. Ep. 22.

Dionys. lib. 11. antiq. Rom.

Senec. l. 1. de ira c. 31.

Verbum non amplius addo: Citius enim charta, quam authoritates defecerint. Sed & hæc usu quotidiano discuntur, & ego iam modò recens sum ab hac experientiâ.

Gunther. lib. 4.

OCULATA FIDES.

La prudence & la foy de pair s'accompagnant,
Repreſentées ſont par ceſt Hierogliphique,
(Lettre cache-ſecret du peuple Memphitique)
Pour dire, qu'auant croire il te faut voir comment.

Homines amplius oculis quam auribus credunt, cum magis veritas oculatâ fide, quam per aures, animis hominum infigatur. Acrior enim est oculorum, quam aurium sensus. Ideoq; Lyricus *oculos fideles*, contrà *aures infideles* Historicorum primus appellat. Rationem eius reddit physicus, *quod visus per se, auditus verò per accidens conducit.* Hinc intelligitur Hieroglyphica illa Comici locutio: *Oculata nostræ sunt manus, credunt quod vident.* quod paulò clarius alibi: *Manus vetant, priusquam penes sese habeant, quidquam credere.* Et inde derivatur illud *oculatâ die emere*, pro, præsenti pecuniâ, cui contrarium hoc eiusdem: *emere cœcâ die*, quando differtur in diem solutio, id quod *credere* seu *fidem sequi* schola nostra vocat. Sed ad rem: quam explanat effatum illud ad Imperatorem directum: *Optimè reges imperium tuum, si omnia des operam perspicere, nec quidquam negligere.* Etenim *homines se mutuo accusant: aliqui compositò falsis criminibus: alii vera incusantes. Contrà aliqui laudant, aliqui, ut res est, testantes, nonnulli veritate neglectâ gratificantes. Optimum igitur fuerit, ut sive privatus quispiam, sive princeps, huiusmodi verbis non statim credat, nec omninò non credat: sed rebus ipsis examinatis, quid de ipsis sentiendum sit, ac veritatem ipsarum scrutetur. Priusquam id factum sit, calumniæ concedere in primo statim congressu, nimiùquam puerile est, longeq; à iustitiâ semotum. Necetiã ex rumore statuendum: multos enim in provinciis contrà quam spes aut metus de illis fuerit, egisse,* dixit Tiberius. Adeò *Principis est virtus maxima nosse suos. Sicut enim Imperatoris est, milites suos cognoscere, & quâ quisq; eorum fortitudine sit, perspectum habere, ut in instruendâ acie intelligat, quo quemq; loco debeat collocare: ita boni Regis est, subditorum suorum mores, animos, actus & sententias perdiscere, ut de singulis edoctus, unumquemq; sciat suo ordine disponere. Et hoc quidem modo agnoscas: nempe cum exploraveris, quo pacto sint ergà Deum affecti, quo pacto comparata ipsorum vita, quo pacto se gerant ergà amicos, sanguine junctos, cives & extraneos, quo pacto res ipsi suas administraverint, & quibus oblectentur, à quibus abhorreant: tum verò diligendos diliges neminem odio prosequens, & illis utens, quibus uti præstat, cæteros non negliges. Sic & rite diliges & perpetuo tum ipse diliges, tum diligêris. Vt enim sapientes definiunt, non modò in imperio, ubi pericula maxima sunt & creberrima, verum etiam in privatis quotidianisq; rationibus, alienum ad amicitiam, cum judicaverit quisquam prudens adiungere sibi debebit, non eum adiunxerit, iudicare. Stultum enim, cum ante caveri possit ne fiat malum, ad latus imperatoris adsciscì; quorum mores ignorantur & voluntates.* Summa, *perit quisquis omnibus credit & nemini. Medià incedendũ viâ. Bonis fidem adhibebis, vitabis malos, quippe si bonis fidem non habueris, omninò malis credes, cum necesse sit, aliquibus credere: contraq;, quam fieri par erat, aut diffidens, aut credens, quibus non debebas. facile corrumperis & gravius quidem, quam cogitare possis.*

Senec. Ep. 6. & 19. Instit. de gradib. cognat. Quint. lib. 11. c. 2. Horat. de arte Herodot. in Clio. Aristot. de sensu c. 1. Plaut. Asin. 1. sc. 3. Truc. act. 5. sc. 1. Pseud. act. 1 sc. 2. tot. tit. ff. de reb. cred. Agapet. ad Iust. Imp. Stob. serm. 44. Lucian. or. de Calum. Tac. 3. ann. 69. Martial. l. 8. Ep. 15 Basil. Imp. c. 30. Parenæticor. Manuel. Imp. ed. reg. c. 18. Imp. Valent. ap. Amm. Marc. lib. 26. Iulian. ap eund. lib. 20. Manuel ib. c. 19. & seq.

LXXXIX.

ET NOS MUTAMUR IN ILLIS.

Il n'y a rien du tout de conſtant en ce Monde,
Ainſi le temps ſe change, & nous auec le temps.
Puis doncques qu'icy bas n'y a rien de conſtant,
Fions nous en Dieu ſeul, en qui tout bien abonde.

VUlgatus ille versus, imò vox publici affectûs est:

Tempora mutantur & nos mutamur in illis. Anonymi.

Naturâ enim humanus animus agilis est, & pronus ad motus. Divinum illud numen immobile est, & quæ ab eo fiunt, omnis expertia sunt pœnitentiæ. Humanum hoc malum est, immutari scilicet, & odisse prius dilectos. Etenim pleriq; homines testâ, quod aiunt, inversâ confestim movemur, & quorum causâ facilè vel mortem oppetiissemus, pro iis nec obolum solvimus. Unde sapiens ille Priennensis *ita æbat oportere homines in usu amicitiæ versari, ut meminissent, eam ad gravissimas inimicitias posse converti.* Sed & adversus credendi facilitatem animadvertenda Platonis cautio. *Ait enim Heliconē Mathematicum sic laudare hominem, tanquam animal naturâ mutabile, itaq; metuere, ne, qui in civitate rectè fuerint educati, cum sint homines, & ab hominibus prognati, declarent alicubi naturæ imbecillitatem.* Idem Plato, *cum Heliconi Cyziceno daret ad Dionysium literas, commendavit illum, ut humanum ac modestum. Deinde in calce literarum adscripsit: hæc autem tibi scribo de homine, animante naturâ mutabili.* Nec opus ad hoc ætate; quæ *mutationes in unoquoq; nostrûm maiores, quam publicè in civitatibus facere solet: à meridiè sepè non iidem, qui manè fuimus*, ut acutè scriptum autori novitio. quin Iidem eadem possumne horam durare probantes? Minimè: *eadem probamus, eadem reprehendimus*, eadem horâ. Imò *momento mutantur animi hominum, usuq; venit, ut à quibus se vel adjutum vel læsum iri quis existimet, eos longè alios experiatur.* Adeò in utramq; partem *mira inconstantia humani ingenij.* At quid mirum hoc? siquidem

Nostra quoq; ipsorum semper requiesq; sine ullâ
Corpora vertuntur, nec quod fuimusve, fumusve
Cras erimus.

Quod neque, *Iuriconsultus Alfenus* ignoravit, nec *Simonides*, dicere solitus, *faciliorem esse hominis statusq; præsentis mutationem, quam muscæ, quantumvis celeriter volantis.* Accedit huc Seneca, qui, *nemo*, inquit, *est manè, qui fuit pridiè. Corpora nostra rapiuntur fluminum more; quidquid vides currit cum tempore. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Et idcò admiror dementiam nostram, quod tantoperè amamus rem fugacissimam, corpus, timemusq; ne quando moriamur, cum omne momentum mors prioris habitûs sit. De homine dixi fluidâ materiâ & caducâ & omnibus obnoxiâ casibus. Mundus quoq; mutatur, nec idem manet. Iuvat ergò, velut in aliquâ sublimi speculâ constitutum, unde universi exaudire possint, Regium illud proclamare: Melius est confidere in Iehovâ, quam confidere in homine.*

Senec. c. 2. de tranquil. Man. Imp. or. 6.

Val. Max. lib. 7. c. 3.

Plutar. de cohib. iracund.

Id. de vitios. verecund.

Id. de serâ num. vind.

Cominæus.

Horat. 1. Ep. 1.

Senec. c. 1. de vitâ beatâ. Dio Cass. lib. 39.

Plin. l. 33. c. 11. Ovid. lib. 15. met.

Vide l. 76. ff. de iudic. S. ob. serm. 103.

Senec. Ep. 58.

Lact. de orig. error. c. 2. Psal. 118. v. 8.

VULGATI SUPRA COMMERCIA MUNDI.

Lucan. lib. 8. Pharſ.

Touſiours béau, touſiours ſeur des coups de la tempeſte,
Gresle, pluye, tonnerre il voit s'entrechocquer:
Au deſſus du commun doit le Prince exceller,
Vuide des paſſions qui d'homme te font beſte.

OLympus excellenti vertice tantus attollitur, ut summa eius cœlum accolæ vocent. Ara est in cacumine, cui si quâ de extù inferuntur, nec difflantur ventis, nec pluviis diluuntur, sed volvête altero anno cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi reperiantur. Litera in cinere scripta usq; ad alteram anni ceremoniam permanêt, Solin. c. 14.

Quemadmodũ igitur pars superior mundi & ordinatior, nec in nubẽ cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret, inferiora fulminant: Eodem modo sublimis animus, quietus semper & in statione tranquillâ collocatus, modestus & venerabilis est, & compositus. Et talis est sapiẽtis animus, semper illic serenum est, quia nunquam sine gaudio est. Ergo quæramus heic, quomodo animus semper æqualis secundo cursu eat, propitiusq; sibi sit, & sua lætus aspiciat, & hoc gaudium non interrumpat, sed placido statu maneat, nec attollens se unquam, nec deprimens. Id tranquillitas erit. At Senec. lib. 3. de irâ c. 6. Id. Ep. 124. Id. c. 2. de tranq.

Semita certè Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ. Ipsa etenim virtus pretium sibi, solaq; latè Fortuna secura nitet, nec fascibus ullis Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi; Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis; Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis Casibus, ex altâ mortalia despicit arce. Mens ab affectibus liberа ista illa est. Nihil enim munitius homo habet, quò refugiens superari non potest, ac, quod magnum & summum est, Deoq; vicinum, non concuti. Gaudium igitur hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientiâ: & audacter licet profitearis, summum bonum esse animi concordiam. virtutes enim ibi esse debebunt, ubi consensus atq; unitas est: dissident vitia. Quare tunc beatum esse te iudica, cum tibi ex te gaudium omne nascetur. Cum in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non deo quod malis, sed quod velis. Id quoq; non levis esse momenti præclaram ad gubernationem duxeris. Omnes enim principes animis suis tranquillitatem, quantam maximam possunt, solerter procurare debent. Quin hoc simpliciter verum est, omnem Remp. ex eo, quod dominatur, mutari, quando in ipso seditio oritur: dum verò secum ipsum consentit, etiam si valde exiguum sit, mutari impossibile est. Separet igitur se ab humanis affectibus princeps, & propius ad Deos accedat, non superbiâ, sed animi virtutisq; invictâ magnitudine, imitatione illius Romani in quem hæc extant apud Poëtam: Iuvenal. sat. 10. Claud pan. in conf. Manlii Theod. M. Anton. Phil. l. 8. vitæ suæ. Senec. d. c. 2. Id. Ep. 59. Id. c. 9. de vitâ beatâ. Idem Ep. 124. Man. Imp. ed. reg. c. 59. Plato l. 8. de Republ. Stob. serm 46.

Vt altus Olympi Claud. de pan.
Vertex, qui spatio ventos hiemesq; relinquit, Perpetuum nullâ violatus nube serenum, Celsior exurgit pluviis, auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calcat: Sic patiens animus per tanta negotia liber Emergit, similisq; sui, iustiq; tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet, Servat inoffensam divina modestia vocem, Nullaq; mutati tempestas proditur oris &c.

Virg. 2. Georg. TANTUS AMOR TERRÆ.

Nous ſortons de la terre, & pourtant malheurreux
Nous n'aymons que la terre, & le bourbier d'icelle:
Noſtre ame en vain ſe pouſſe en haut ſpirituelle,
Nous rabbatons mutins ſon vol plus genereux.

O *Quam contempta res est homo, nisi suprà humana se erexerit*; planè similis ruborum: *Rubi namq; curvati gracilitate, & simul proceritate nimiâ, desigunt rursus in terram capita.* Non aliter

Senec. præf. nat. quæst. Plin. lib. 17. c. 13.

— Curva in terris animæ & cœlestium inanes. Nihil enim

Pers. sat. 2. Lactant. c. 1. de vero cultu.

sapiunt, nisi terram, bonaq; & mala solius corporis voluptate perpendunt. Huius arbitrio ut religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt: & quoniam se semel à cœli contemplatione averterunt, sensumq; illum cœlestem corpori mancipaverunt, alium honores, alium opes vinciunt: alii nihil ultrà pastum curant. Quam multi enim in possessionibus, fundis, servitiis, magistratibus versamini? Ea verò nihil aliud sunt nisi pabulum & vos nihil aliud quam

Senec. c. 10. de tranq. Arrian. in Epict. l. 2. c. 24.

vilis turba, caducis

Deservire bonis semperq; optare parati. Oportet igitur Socraticum illud dicere: Homines quò ferimini? quid facitis? O miseri, cœcorum instar sursum deorsumq; volvimini. Aliam viam itis, relictâ verâ. Alibi quæritis fœlicitatem & principatum, ubi non est. Angustus animus est, quem terrena delectant. Ad illa abducendus est, quæ ubiq; aquè apparent, ubiq; aquè splendent, & hoc credendum est, ista veris bonis per falsa & pravè credita obstare. Quisquis igitur rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cœlum; nec aliter eniti ad summum poterit, nisi quæ sunt ima, despexerit. Idcircò enim soli animantium ad aspectum cœli erecti sumus, ut summum bonum nostrum in summo Deo esse credamus. In cœlum igitur spectandum est, quo natura corporis provocat: nec divitiis, nec fascibus, nec regiâ potestate confidendum: immortalem ista non faciunt. Quin quicunq; rationem hominis abiecerit, ac præsentia secutus in humum seipse prostraverit, tanquam desertor Domini & Imperatoris & patris sui punietur. Quisquis verò corruptelas terræ virtute calcaverit, hunc arbiter ille summus & verax ad lucem vitamq; perpetuam suscitabit. Itaq; vita hæc temporalis illi æternæ debet esse subiecta, sicut corpus animæ. Quisquis ergò anima vitam maluerit, vitam corporis contemnat necesse est.

Stat. l. 2. sylv. carm. 2. Arrian. in Epict. lib. 3. c. 22.

Senec. cons. ad Helvi. c. 9.

Lactant. c. 8. de vero cultu. Id. c. 5. de vitâ beatâ. Id lib. de falsâ sapient. c. 12. Ib. c. 10. Id. c. fin. de vitâ beatâ.

Ibid. c. 5.

XCII.

MONSTRATUR IN UNDIS.

Ceſt inviſible Dieu n'entre dedans nos yeux
Que par reflexion de ſes oeuures viſibles,
C'eſt par là ſeulement que ſont intelligibles
Ses myſteres, cachez au plus ingenieux.

Dicimus de Deo, quantum possumus, non quantum debemus. Homo enim ad immortalium cognitionem nimis mortalis est, nec pertingit mens eius ad aliquid eorum, de Deo quæ considerantur. Quare, *ne nobis idem accidat, quod accidere illis solet, qui in solem figunt intuitum, (orbantur enim nonnunquam visu, nisi in aquâ vel in eiusmodi aliquo imaginem eius aspiciant,) cavere debemus, ne quasi ex opposito ad solem conversi, & in meridie noctem agentes, perinde loquamur, ac si mortalibus oculis mens sufficienter conspici cognosciq; possit: tutius enim videbimus, si ad imaginem eius respiciamus. Quid enim potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cœlum fuspeximus, cœlestiaq; contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur: cuius invisibilia, dum per res conditas intelliguntur, ex creatione mundi pervidentur, æterna scilicet eius tum potentia tum divinitas,* Itaque *non exspectaveris* (piè Socrates inquit,) *donec Deorum formas intuearis, sed sufficerit inspicienti eorum opera, tum venerari, tum honore prosequi Deos. Velim etiam cogites, Deos ipsos ita se nobis ostendere. Nam & Dii cæteri, cum bona nobis largiantur, nihil tamen horum ita largiuntur, ut in apertum prodeant, & is qui mundum universum composuit & continet, quo pulcra & bona omnia comprehenduntur, quiq; utentibus eo semper expertem detrimenti & morbi & senectutis exhibeat, atq; etiam cogitatione celerius obsequentem sine ullo errore, is inquam maxima quæq; facere consuevit, atq; hæc gubernans nihilominus cerni non potest. Etiam considereres velim, quod sol, cum omnibus esse conspicuus videatur, non permittat hominibus, uti se accuratè aspiciant, sed si quis impudenter eum spectare conatur, videndi facultatem amittat &c. Quæ considerantem te nequicquam ea, quæ cerni nequeant, contemnere decet: sed de iis, quæ accidunt, eorum potestate animadversâ, honore numen ipsum prosequi.* Dicuntur hæc ab Ethnico, sed nimisquam Christianè, si ad unum illum & verum Deum sobriè deriventur.

Gratian. Imp. in suâ confess. ad Ambros.

Senec. c. 32. de vit. beat.

Max. imp. or. 6.

Plato in Phæd.

Id. lib. 10. de LL.

Cic. lib. 2. de nat. Deor.

c. 1. ad Rom. vers. 20.

Xenoph. lib. 4. memor.

XCIII.

OMNIA NEC TANTI.

L'homme mortel eſt encores plus vain,
Que vanité fondue toute enſemble:
En vanité n'eſt rien qui luy reſſemble,
Aujourd'huy Roy, pouldre ſera demain.

O Miserrimi terq; quaterq; omnes, qui de sese magnificè sentiunt inflati. Ignorant enim illi hominis conditionem, quem qualibet occasio totum aboleat. Inter istos familiam duxit ventosissimus ille Xerxes, qui, cum sederet in terrâ cum ornatu, quasi certaminis alicuius præses, aut iudex rerum gerendarum de cœlo datus fuisset, existimabat metum sui reliquis omnibus populis suffecturum, nec aliud sibi opus relictum, nisi ut honore alios, alios odio prosequeretur. Adeò caduca molitur genus mortalium. Caduca nimirum & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundiis sunt ista, quæ vires atq; opes humanæ vocantur. Quare Stob. serm. 106. Aristid. orat. panath. Æschylus. Val. Max. l. 6. c. 11.

Quamvis rex natus fueris, audi tamen ut mortalis. Stob. serm. eod.
Quid tum quod procul expulis? multâ abundas pituitâ,
Vestem elegantem fers? at hæc ovicula prius habuit,
Aurum geris? hic fortunæ fastus est.
Opibus affluis? hæc vis est iniquæ temporis.
Superbis? huiusmodi est hinnitus stultitiæ.
At si temperantiam sectaris, divinum donum est,
Fit autem temperantia, si teipsum metiaris.

Nec ulla res magis proderit, quam cogitatio mortalitatis: quam præ se tulit Tiberius Imperator, se mortalem esse & hominum officia fungi, satisq; habere, si locum principem impleat, coràm senatu testatus. Eo fine Philippus Rex, cum in Chæronea fudisset Athenienses, licet fortunâ evectus, tamen appetitum rationi subdidit, neq; contumeliose aut intemperanter aliquid fecit, sed consultum esse putavit, quendam ex pueris quotidie, antequam ipse prodiret, aut quisquam ad eum introiret, ter ei acclamare, Philippe homo es. Rex Antigonus cum ex morbo diuturno convaluisset: nihil peius, inquit: hæc enim ægrotatio nos admonuit, ne multum efferamur, cum mortales simus. Sensit idem Severus Imp. Cuius dictum est, cum eum ex humili per literarum & militiæ officia, ad imperiū plurimis gradibus fortuna duxisset, Omnia, inquit, fui, & nihil expedit. Tandemque coactus hoc fateri Sardanapalus, res hominum esse ridiculas, & nec digitorum dignas strepitu, sculptâ in monumenti lapide manu, coniunctis digitis, velut ad sonum elidendum, hoc symbolo adscripto: τὰ πάντα τῶν ἐκ ἀξια τοῦ κροτήματος, omnia nec tanti esse. Optimè omniū Rex sapientissimus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Mihi certè, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. Video enim, nos aliud esse nihil, præter simulacra quædam, quotquot vivimus, aut umbram levem. Quid igitur aliquis? quid igitur nullus? Vmbra somnium homo*: nisi unum restaret. Senec. l. 1. de ità c. 42. Tacit. 4. ann. 38. Ælian. lib. 8. var. c. 15. Plutarch. in apopht. Spartian. in Severo. Athenæus l. 12. Eccles. 1. 2. in pr. Tacit 3. ann. 18. Stob. serm. 20. Pindar. pyth. 8.

Sil. Ital. lib. 6.

ROTA VOLVITUR ÆVI.

Contemplant icy haut la roue de Fortune,
Toy qui en vn matin es venu ſi auant,
Ne t'enorguillis pas; icelle en vn moment
Hauſſe & rabbaiſſe tout ce, qui vit ſoubs la Lune.

CAsuum nunc contemplemur varietatem, quam ingerit aureum illud distichon, ac dignum, quod in concionem omnium mortalium mittatur: *Fortunam reverenter habe; quicunq; repente*
Dives ab exili progrediere loco. In cuius verba post Agathoclea regem juraſſe putes Willegisum primum inter Archiepiſcopos Moguntinos Electorem, qui, *quia humilem progeniem habuit, & patrem, qui currûs & bigas facere ſolebat, in thalamo grandibus literis hæc ſcripta habebat:* WILLEGIS *recole unde veneris. Omnibus etiam aulæ ſuæ parietibus rotas appingi juſſit, ut earum intuitu ſuam proſapiam recognoſceret unde etiamnum in inſignibus Moguntinæ ſedis rotas eſt cernere.* Nempe ſciebat optimè vir modeſtiſſimus, *brevibus momentis ſumma verti poſſe.* Quod ſi non agnovit Tiberius, ſaltem agnoviſſe ſimulavit, *Cuncta mortalium incerta, quantoq; plus adeptus foret, tanto ſe magis in lubrico dictitans. Quæ ſunt divitiæ, quas non egeſtas, & fames, & mendicitas à tergo ſequatur? quæ dignitas, cuius non prætextam & augurale & patricia & ſordes comitentur, & exportatio, & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio? Quod regnum eſt, cui non parata ſit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis iſta intervallis diviſa, ſed horæ momentum intereſt inter ſolium & alienam genua, & plena eſt exemplorum vetuſtas, plena etiam præſens ætas, qui reges felicitatem calamitate mutaverint,* *Miſcet hanc illi, prohibetq; Clotho*
Stare fortunam, rotat omne fatum, *Quos fe'ices Cynthia vidit,*
Præcipites dat & rurſum erigit *Videt miſeros abitura diet,*
Iuxtà potentes atq; miſeros. *Rarum eſt felix idemq; ſenex.*
Et hinc manant iſtæ ipſius Fortunæ verba, dicentis: *Rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcende ſi placet; ſed ea lege, ne uti, cum ludicri mei ratio poſcet, deſcendere iniuriam putes.* In Ægypto Seſoſtris Rex hoc didicit, *Victor erat vicinorum: unde animo elatus, quatuor reges, equorum vice, currui ſuo ſubjungebat, quo vehebatur. In eo cum ſublimis ſederet, regum illorum unus capite reflexo identidem rotam currus aſpiciebat, & capi ac paſci videbatur. Quid rei ſit Seſoſtris rogat: ille liberè; Intueor volumen hoc aſſiduum rotæ, in quâ viciſſim ima ſumma & ſumma ima fiunt: quod exemplum capio, & applico noſtræ fortunæ.*
Eſt igitur viri haud rectè res ipſas cogitantis, in re nequaquam ſtabili ac firmâ conſtantiam quærere. Rotæ enim circumactæ nonnunquam altera pars ſupernè extat, nonnunquam altera. Itaq; ad indolentiam optimum eſt remedium, ratio, & per hanc quoddam adverſus fortunæ mutationes munimentum: oportet enim, non tantum ſeipſum naturâ mortalem noſſe, verum & mortalis conſortem vitæ, rerumq; perquam facilè in contrarium ſe mutantium. Sui autem oblivíſci propter phantaſiam brevis imperii, magnam puſillanimitatem arguit.

Val. Max. lib. 6. c. 11. pr.

Auſon. Epigr. 8.

Suffridus Presb.

Tacit. 5. annal. 4.

Id. 2. ann. c. 72.

Senec. c. 11. de tranq.

Bœth. lib. 3 de conſ. phil. proſ. 5.

Senec. in Thyeſt.

Sophocl in Anti.

Sene. Herc. fur.

Bœth. lib. 2. de con. phil. proſ. 5.

Vide Simocattã lib. 6. hiſt. Mauricianæ c. 11.

Plutarch. orat. conſ. ad Apoll.

Stob. ſerm. 44.

Ovid. l. 1. met.

UNA NEMUS.

Heureux celuy qui voit peupler ſa race
D'enfans bien nez; pour puis en vn danger
N'eſtre rendu eſclaue à l'eſtranger,
Qui ſans argent ne ſe retient en grace.

Plin. lib. 12. c. 5. vide item Curt. pr. libri 9. & Theophrast. lib. 4. c. 5.

Ficus Indica ipsa se semper serens, vastiùs diffunditur ramis: quorum imi adeò in terram curvantur, ut annuo spatio infigantur, novamq; sibi propaginem faciant circà parentem in orbem. Superiores eius rami in excelsum emicant, sylvosá multitudine vasto matris corpore, ut LX. P. pleraq; orbe colligant, umbrá verò bina stadia operiant. Non perperā huic assimiles generosam aliquā fœcunditatē, qualem laudat Claudianus, —— Fixus in omnes

Paneg. in Prob. Probin. & Olybr. frat.

Cognatos procedit honos: quemcunq; requires
Hac de stirpe virum, certum est de consule nasci,
Per fasces numerantur avi, semperq; renatâ
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur.

Nempè Munimen aulæ regii sunt liberi. Nam ut potentia maior est, viri multitudine amicorum muniti, quam illius, qui nullos amicos sibi obstrinxit: ita plus potest is, cui proles est numerosa, quam ille, cui nulla, vel pauca: & id eò magis, quo propinquiores cuiq; sunt filii quam amici,

Euripides. Stob. serm. 73.

Nam nihil est homini fidum, prater suam prolem,
Sed lucri causá vel consanguinei mali fiunt.

Euripides d. serm. 73. Tacit. 4. ann. 52.

Unde Titus multò apud patrem sermone differit: non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorū. Nam amicos tempore, fortunā, cupidinib. aliquando aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuiq; sanguinē indiscretū, sed maximè principibus: quorū prosperis & alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. Porrò liberos non solum nobis generamus, sed d. serm. 73. illis etiam, quorum operá nos nati sumus, deinde amicis quoq;, & cognatis, quippe gratum & istis fuerit, procreatos à nobis liberos intueri, tum propter benevolentiā, tum propter vitam tutiorem ita, quæ firmatur hoc pacto inter gentiles & necessarios. Sed etiam patria ad hos ipsum hortatur. Nam liberos procreamus, non tam nobis ipsis ferè, quam patriæ, successioni nostræ prospicientes, ac exhibentes Reip. illos, qui in locum nostrum substituantur. Itaq; sacerdos civitati suæ sacerdotes debet, princeps principes, concionator concionatores, denique civis cives. Usq; ad bella se extendit hæc utilitas: videlicet cives illi contrà hostes strenuè pugnabunt, cò quod sese nequaquā deserent, cognoscentes se invicem esse propinquos, perq; hæc nomina mutuò se vocantes, fratres, patres, filios. Sic apud maiores nostros, quod præcipuè fortitudinis incitamentū est, non casus, nec fortuita conglobatio turmā aut cuneū faciebat, sed familiæ & propinquitates. Hæc eo usque vera, dum inter sese non ipsi dissentiant, quod Micipsa filiis prædixit: quis n. amicior quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego regnū vobis trado firmū, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam bella fratrū seva, pugnaq; aspera; & qui valde amarunt, simultates gerunt acerrimas. Possimus fortassis aliorum occidentiū sperare finem: non habent proximorum odia regressum. Quæcunq; nexūs accepēre natura, & quæ sanguine visceribusq; constricta sunt, non laxantur diducta, sed pereunt.

Plato lib. 5. de republ.

Tacit. c. 7. de mor. German.

Sallust. Iugurth.

Arist. 7. polit. 7.

Quint. decl. 17.

Gunther. lib 6.

DOLOR UNIUS TRANSFERTUR AD OMNES.

Ce n'eſt aſſez ne faire à nul outrage,
Il faut de plus s'oppoſer à l'effort
Du malheureux, qui pourchaſſe la mort,
Ou du prochain la honte, & le dommage.

Delphinis inter se publica est societas. Capto à Rege Caria alligatoq; in portu Delphino, ingens reliquorum convenit multitudo, mœstitiâ quadam, quæ posset intelligi, miserationem petens, donec dimitti Rex eum iussit. Sic iniuriâ affecto civi, vel in patriâ, vel in peregrinâ regione opē ferre decet. Nam qui non repellit â socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Nec verò solum causa est servitutis, qui ipse alios opprimit, sed etiam, qui cum possit, non defendit socios. Ergò iniustitiæ genera duo sunt, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriam; nam qui iniustè impetum in quempiam facit, aut irâ aut aliquâ perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socia: qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Et certè, iuxtà Menandrum,

Plin. l. 9. c. 28.
Stob. ser. 42. ex Chærondâ.
Ambros. lib. 1. de offic. c. 37.
Thucyd. lib. 1.
Cic. lib. 1. offic.

Si iniuriarum authorem ulcisceretur
Unusquisq; nostrûm, & unà propugnaret
Æquè, ac si propriè sibi esset facta
Iniuria: & cives vehementi studio mutuam iungerent operam,
Non amplius nobis calamitas inciperet
Improborum hominum, sed obsecrati,
Et meritam pœnam luentes,
Vel admodum essent rari, vel prorsus desinerent.

Stob. serm 41.

Hinc Solon quæsitus, quanam ratione nullum in urbe scelus perpetraretur, respondit: si tam indignarentur illi, quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est: quæ ipsius verba paulò fusius ibidem repetuntur; Si nunc etiam, inquit, de Republ. audire libet, optimus mihi civitatis status videtur, in quâ iniuriarum authorem ad ius trahunt, accusant, & puniunt, etiam illi, qui iniuriam non passi sunt, quod facere soleverunt Athenienses veteres, Non enim privatam tantum iniuriam intuebantur, sed exemplo movebantur, quod, cum ad plures pervenit, exitiale est universæ civitati. Nec alio fine Iudicia publica & reorum accusationes olim apud Romanos institutæ fuerunt, quam ut Juvenes ad eloquentiæ studium exercerentur iuxtà, & in malos cives impetum egregium pro salute Reipub. conciperent. Et quidem, inquit Author vitarum, videbatur alioqui Romanis, vel non suppetente causâ, res non pudenda, accusatio: sed delectabantur iuvenibus, improbos, ut generosis canibus, feras consectantibus.

Ibid.
Lycurg. in orat. con. Leocrat.
Plut. in Lucull.

Lucan l. 1. Phars.

CONCORDIA DISCORS.

Comme de ſons confus s'entonne l'harmonie
D'vn accordant diſcord, de meſme vne cité
Quoy que d'hommes diuers maintiendra l'equite,
Si par des bonnes loix ſagement ſe manie.

QUod Hippodamus Pythagoræus ait, communitatem civilem *omnimodam cum lyrâ similitudinem* recipere, *eò quod apparatu, consonantione, & tandem pertractatione aliquâ usuq; Musico indigeat*, id paulò prolixius diducens Orator Latinus: *ut in fidibus*, inquit, *ac tibiis, atq; cantu ipso ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimilimarum vocum moderatione consors tamen efficitur & congruens: sic summis & infimis & mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderatâ ratione civitas consensu dissimilimorum constitit, & quæ Harmonia dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine iustitiâ nullo pacto esse potest.* Stob. serm. 46. Cic. fragm. lib. 2. de republ.

Pulcrè ad rem Alcibiades coràm Athenienſibus: *existimetis* inquit, *iuventutem ac senectutem, alterum sine alterâ, nihil posse. sed si infimus & medius & summus ordo sit simul permixtus, maximas vires habere.* Aliò torquet Euripides, ſed eodem tamen res redit: Thucyd. lib. 6.

Putatisne, vos terram habitare posse, si totus pauper
Populus Rempubl. absq; divitibus institueret,
Haudquaquam seorsim bona & mala subsistere possent, Stob. d. ſer. 41.

Sed est aliquod temperamentum, quo rectè coniunguntur, videlicet *Indigentia*, quæ *quasi vinculum est communitatis, dum alter alterius eget.* Et *ita dives & pauper inter se miscentur, quia fecit hos omnes Iehovah.* *Non etiam ex duobus medicis societas constare potest, sed ex medico & agricolâ, & omninò ex diversis & dissimilibus, atq; inæqualibus, quos tamen oportet exæquari.* Aristot. l. 5. Ethic. c. 8. Proverb. c. 22. v. 2. Ariſt. d. c. 8.

Quomodo? dixit idem paulò ante: *verum communicatione, officiorum mutuatione, proportione, non æqualitate*: hac enim tantò *deterior erit civitas, quemadmodum si quis συμφωνίαν reddat in ἀσυμφωνίαν; quâ peste quæ potest esse maior? Hanc enim ob causam maximè, ut sua tenerentur, respubl. civitatesq; constitutæ sunt: in quibus nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa.* Et alioqui *nihil certè ab omni misturâ purum esse in hominum vitâ potest, cum corpus quoq; contrariis ex rebus constet, assimia sibi necessariò quærentibus, & inter se dissidentibus. Vnde & Philosophi quidam & Poëtæ discordi concordiâ mundum constare dixerunt.* Id. l. 2. Polit. c. 5. Cic. l. 2. offic. Plin. l. 2. Ep. 12. Man. Imp. ed. reg. c. 49. Lactant. de orig. error. c. 10.

Horat. de arte poët.

ALTERIUS ALTERA POSCIT OPEM.

De l'vne le ſecours ainſi l'autre demande.
Quand nature t'aura des richeſſes donné,
Sçaches que pour toy ſeul au monde n'es pas né:
Il faut que de tes biens ton prochain ſe reſſente.

Manus manum digitumq; digitus abluit, Et *mutuis auxiliis constant omnia*: *nos verò prorsus in nihilum statim redigemur omnes, si quis opem mutuam è medio tolleret. In commune vivitur. Nec potest quisquam beatè degere, qui se tantum intuetur, quiq; omnia ad utilitates suas convertit. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Hæc societas diligenter & sanctè observanda est, quæ nos omnibus miscet & indicat, aliquod esse commune ius generis humani. Cum enim inter nos cognationem quandam ipsa natura constituerit, adeoq; præsidii causâ homines societatem cum hominibus inierint & sanxierint, sydus illud à principio sui ortus inter homines initum violare, aut non conservare, summum nefas putandum est.* Adde quòd *nemo suum ipsius negotium rectè gerere potest, neglecta proximi dilectione. Nam qui se à præstando auxilio removet, etiam ab accipiendo se removeat necesse est, quia nullius ope indigere se putat, qui alteri suam denegat. Huic verò qui se ipse dissociat ac secernit à corpore, non ritu hominis sed ferarum more vivendum est.* Et hinc intelligitur, quantùm *interest hominis, hominem affici beneficio.* Sed nimirum

Vet. Iambi Sarisber Ep. 81. Mast. Imp. or. 6. Senec. Ep. 48.

l. 3. ff. de iust. & iure. Lactant. c. 10. de verò cultu. Chrysost. hom. 5. contr. Iudæos. Lact. d. l.

l. 7. ff. de servis. exp.

Vulgus amicitias utilitate probat; *Quæ amicitiæ species* (ut satis basilicè Basilius loquitur) *non tam amicitiæ, quam negotiatio & mercatura quædam esse deprehenditur.* Verum longè aliud & *hoc nempè ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis, si minus, paucis, si minus, proximis, si minus, sibi. Nam cum se utilem cæteris efficit, commune agit negotium. Quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodò nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset: sic si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis profuturum parat. Vt enim unus alterum iuvaret in suo opere, eò nati sumus, ut manus, ut pedes, ut palpebræ, ut superiorum inferiorumq; dentium ordines.* Itaque *quoniam* (*ut præclarè scriptum est à Platone*) *non nobis solùm nati sumus: ortusq; nostri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici: atq;* (*ut placet Stoicis*) *quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causâ esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint: in hoc naturam ducem debemus sequi, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum dando accipiendoq;: tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem. Potest etiam alius pecuniâ, alius pro autoritate magistratus, alius per amicos, alius deniq;, ut cætera deficiant omnia, animi saltem propensione & æquè propè dolendo civi suo subvenire.*

Ovid. 2. de ponto El. 3. In parænd. ad fil. c. 26.

Senec. c. 30. de vitâ beatâ.

Marc. Antonin. Imp. lib. 1. de vitâ suâ. Cic. 1. offic.

Simplic in Epict. c. 37.

XCIX.

VOCE IUVABO.

Quoy que d'vn fer aigu les rangs rompre ie n'aille,
I'anime de mon ſon au combat le ſouldard.
D'vn citoyen la voix, le conſeil, le regard
Eſt aultant en l'eſtat que moy en la bataille.

A Diuvat etiam qui currentem hortatur, & Martius ille militaris buccinæ sonus, si nihil aliud, saltem Senec. Ep. 108.

agit in certamina mentes. Sil. Ital. l. 6.

Quis autem ignorat, lituos & tubas concitamenta esse, contraq; hostes iram excitare, & amorem augere pugnandi? Tale quiddam facies, si à primâ te Reipubl. parte fortuna submoverit: stes tamen, clamore iuves, si quis oppresserit, stes tamen & silentio iuves. Nunquam inutilis est opera civis boni. Auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacitâ, incessuq; ipso prodest. Sed & *habet ubi se etiam in privato lare explicet magnus animus*: ita ut, *ubicunq; otium suum absconderit, prodesse velit, & singulis & universis, ingenio, voce, consilio.* Jam in bellis *etiamsi alii primam frontem tenebunt, te sors inter triarios posuit; inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. Præcipis quoq; manibus ille in prœlio invenit, quod partibus conferat, qui stat tantum & clamore iuvat.* Exemplum nobis subministrant Macedones, contrà Lacedæmonios prœliantes: quos, ut inquit Historicus, *angustiæ loci, in quo hæserat pugna, non patiebantur totis congredi viribus. Expectabant ergo plures, quam inierant prœlium: & qui extrà teli iactum erant, clamore invicem suos accendebant. Solon* (inquit Variarum author) *cum Pisistratus satellitio, à populo Atheniensi impetrato, Tyrannidem occupabat, ante domum suam sedens, protendebat scutum & hastam, inquiens se armâ sumsisse, ad asserendam patriam, quoad posset: & cum iam ætate minimè par esset, ad agendum ducem, aut militem, tamen animo patriæ favebat.* Aliud exemplum refertur ab eodē, de Harmatidii cuiuspiam Thespiensis filio, qui unà *cum aliis civibus auxilio veniens Athenienſibus, primum quidem strenuè, viteq; pugnavit: consumtis autem omnibus armis, nudis manibus adversus armatos dimicando, vitam cum gloriâ finivit.* Mereret hæc quoque materia dissertationem ampliorem, quam facilimum esset pertexere (quandoquidem

Qui subtemen nere tenue, nere item uberius potest.)

nisi & liber iam concludendus esset, & adhuc aliqua restarent, quæ magis sunt præsenti operi necessaria.

Senec. l. 3. de ira c. 9.

Plutar. lib. 2. vitute mor. sub fin.

Senec. c. 3. de tranq. animi.

Ibidem.

Ibid.

Curtius lib. 6.

Ælian. l. 8. c. 16.

lib 6. Var. c. 2.

Plaut. Mercat. a. 3. sc. 1.

Lactant. lib. de falsa sap. c. 24.

C.

Ovid. lib. 2. de Ponto El. 1.

PRIVATI NIL HABET IL-
LA DOMUS.

Qui n'a pris que pour ſoy naiſſance,
Et ne profite rien qu'à ſoy,
Au public ne fait que nuiſance,
Et ſon bien ne cauſe qu'eſmoy.

CVm rerum natura nusquam magis, quam in minimis, tota sit, libet ex ipsius penetralib. hæc depromere; quæ si longiora fuerint, cũ magnitudine utilitatis comparentur, ita fortasse etiam breviora videbũtur. De apibus ita Physiologiæ Mysta: *Rempublicam ac mores habent, & nihil novere, nisi commune.* Illas ob id inter *civiles animantes* enumerant. *Hominem autem esse animal civile magis, quam quamvis apem, & quodvis animal congregabile, perspicuũ est*, quippe qui ,ppriè *Reipub. nascitur. Neminem enim existimare oportet, ipsum esse suum, sed omnes, se esse civitatis: particula enim unusquisq; civis civitatis est.* Unde Jctis *Dominus membrorum suorum nemo videtur, & multũ tum civitas, nec non ignominiâ afficit, qui se ipse exanimavit, ut qui civitatem injuriâ afficerit. Quæ igitur est civis professio? Ne quid privatim utile ducat: de nullâ re, tanquam emancipatus, deliberet, sed ita, ut manus, aut pes, si ratione uterentur, & naturæ ordinem intelligerent, nunquam concitarentur aliter, nec desiderarent quidquam, nisi ratione habitâ universi. Quod si dixeris, unicuiq; suæ solùm curandæ esse, reddes hominem nihil à lupo differentem. At si fatearis, humanum ingenium apiculæ simillimum esse, quæ sola vivere nequit, (perit enim si relinquatur sola) sed ad unum & commune opus suarum congenerum tota inclinat, operam suam omnem proximis coniungens, efficietur, oportere singulos civitatem suam curæ habere.* His verbis nihil est cur repugnemus, si consideramus illud ab omni antiquitatis præiudicio firmatum axioma, quod *bonum publicum evertunt studia privata*, h. e. *factiones, respectusq; rerum privatarum, quæ semper officere, officientq; publicis consiliis.* Nec me diffundo: una sufficerit huic rei demonstratio. *Quonam enim modo facilius, possint in præliis homines vinci, quam ubi ceperint seorsim singuli saluti privatæ consulere? Similiter, qui seipsum præ patria servare vult, tum iniustè facit, tum stultus est, insuper impossibilia desiderans. At qui patriam sibi ipsi præponit, is & Diis charus est, & mente prudentior.* At hodie *tantum nimirum ex publicis malis sentiunt, quantum ad privatas res pertinet. Et quis est istorum, qui non malit Remp. turbari, quam comam suam? Cæteros iam nosti, qui ita stulti sunt, ut amissâ Repub. piscinas suas fore salvas sperare videantur, adeò non in communè spectant, sed suum quisq; diversi commodum focillantur*: qui tamen illud meminisse debebant Romani consulis: *Respub. incolumis, & privatas res facilè salvas præstat; publica prodendo, tua nequicquã serves. Sanè vir bonus, & civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus, quam unius alicuius, aut suæ consulit. Nam etsi idem unius hominis & civitatis bonum sit, civitatis tamen bonum & consequi, & conservare, maius quiddam est, & perfectius. Potius est enim & parte totum, & civitas cive.* Itaq; oraculũ ex æternis ipsius veritatis adytis promulgatum, *Quærite*, iubet, *prosperitatem istius civitatis, in quam, misi vos, & orate pro eâ; nam in prosperitate eius futura est vobis prosperitas. Ita qui*

Plin. lib. 11. c. 2.
Cic. 2. offic.
Plin. d. l. 11. c. 5.
Arist. 1. hist. an. 1.
Id. 7. Polit. 2.
l. 1. §. 15. ff. de ventr. in poss. mitt.
Arist. 8. Polit. 1.
l. 13. in pr. ff. ad l. Aquil.
Arist. 5. Eth. 15.
Arrian lib. 2. in Epict. c. 10.
Musonius apud Stob. serm. 65.
Sidon. lib. 4. Ep. 21.
Liv. lib. 2. c. 30.
Xenoph. lib. 1. Cyropæd.
Stob. serm. 37.
Liv. lib. 30, c. 44.
Senec. c. 12. de vitæ brevit.
Cic. lib. 1. ad Att. Ep. 15.
Varro lib. 2. de vitâ pop. Rom.
Liv. lib. 26. c. 36.
Cic. li 3. de finib.
Arist. 1. Ethic. 1.
Arrian. d. l.
Ierem. c. 29. v. 7.

se comparant, ut patriæ utilissimi sint, hi nec privata neglexerint, cum suæ cuiq; rebus cum repub serventur & pereant. Quare saniorum omnium puncto, negotia publica civitatis omnium existimare oportet maxima, ut feliciter augeantur, neq; prater æquum contendere decet, neq; potentiam sibi comparare privatam, prater publicum bonum. Civitas enim prosperè agens felicitas est maxima: hac salvâ, cuncta servantur; hac pereunte, nihil non pessum it. Itaq; pro se quisq; maximè ipsam auctam & ornatam velle tenetur, eiq; suam ipsius gloriam, & existimationem cedere. Nam eius status ita demum incolumis est, cum singuli eum suo loco tuentur: contrà cum unius errato fit labefactatio, tota venit in periculum.

Et ut exemplis hæc illustremus, sic assuefacti erant Lacedemonii, ut nec vellent, nec scirent privatim vivere: verum ut apum more ad Remp. conglobati semper, patriæ essent toti, quam affectionem ex eorum dictis colligas licet. Pedaretus, non allectus inter trecentos, perquam latus discessit, quod trecenti in civitate essent se præstantiores. Polystratidas, legatus ad Regis præfectos, iis rogantibus, privatim an publicè missus esset; respondit: si compotes voti fuerimus, publicè: sin tu lerimus repulsam, privatim. Agesilaus, Persarum Regi, amicitiam suam muneribus ambienti, respondit: fieri non posse, ut suâ privatim amicitiâ frueretur, sin Lacedemoniis omnibus amicus fieret, se quoq; in amicitia ius venturum, quando inter omnes etiam ipse locum haberet. Mens eadem Catonis erat, nempe

——patriæ impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo,
——Veneris huic maximus usus
Progenies, urbi pater est, urbiq; maritus:
Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti,
In commune bonus.

P Scipio Nasica, quicquid publicè salutare non esset, privatim alienum existimavit. Et in genere, patriæ rem unusquisq; veterum Rom. non suam augere properabat: Unde Privatus illis census erat brevis, Commune magnum. Non tamen sine privato lucro, eoque vel omnium compendiosissimo, Gallî Asinii cõfessione qui auctu imperii, inquit, adoleviſſe etiam privatas opes. Quamvis existimo, pariter bonum esse, qui & sibipsi & suis fortunis prospicit, nam huiusmodi & rempubl. suâ operâ salvam esse volet, & voluntariè tribuet pecuniam in utilitates patriæ, nec propriè loquetur de substantiâ suâ, sed æquo animo parte aliquâ suorum fructuum pacem sibi redimet sempiternam. Et sic privatæ utilitatis studium à communitate non excluditur. Quandoquidem enim singula servari, totius interest, etiam in privato publicum negotium agi bonus civis, veteres imitatus Athenienses; qui laboribus & frugalitati assueti, neq; sua negligebant, alienis inhiabant, nec è publico rem privatam stabiliebant, sed de suo quisq; cùm res postulabat, etiam rempubl. iuvabat.

Stob. serm. 27. Polydicus apud eund. ser. 41.

Plutar. in Polit.

Ioannes Lycurg. in orat. contrà Leocrat.

Plutarch. in Lycurgo.

Ælian. lib. 10. c. 20.

Lucan. l. 2. Phars.

Vell. Paterc. lib. 2 Val. Max. 4. 4. Horat. 2. carm. od. 15.

Tacit. 2. ann. 33. Thucyd. lib. 6.

l. 6. §. 7. ff. de excus. Tutor.

Cicer. Epist. ad Quint fratr.

Arrian. libr. 1. Epict. c. 19.

Senec. 2. de ira. 31.

Idem 3. de tranq. Isocrat. in Areopagit.

bat. Nec enim reipubl. curam negociationem, sed occupationem existimabant. Simili modo inter sese agebant, sic alii alios curantes, ut cordatos viros decet, & communitate patriæ devinctos. Nam & tenuiores cives adeò non invidebant ditioribus, ut æquè soliciti essent de magnis familiis ac de suis: existimantes, illarum divitias, suas esse copias: & locupletes tantum aberat, ut despicerent tenuiores, ut civium inopiam dedecori sibi ducentes, illorum necessitatibus subvenirent, aliis agros colendos locando, alios ad negociationem ablegando, aliis sortem ad alios quæstus suppeditando. Ex eodem fonte fluxerunt illa, quæ Hecatoni adscribuntur: *Sapientis esse, nihil contrà mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris: neq; enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeq; Reip. Singulorum enim facultates & copiæ, divitiæ sunt civitatis.* Unde lux affulget scitis illis Legalibus, *Expedire Reipubl. ut abundet subiectis locupletibus, & ut ne quis re suâ malè utatur.* Quibus consequum est, quod Regi suo suadet ille, *Rem privatorum familiarem curæ, & prodigos de tuo facere sumtum, & ad rem attentos tuas opes augere, existima. Bona enim in urbe habitantium ad familiam pertinent regum benè imperantium:* quæ verba non obscuram esse patiuntur Imperatoriam sententiam, quæ *Principis familiam esse subditos* asserit. Porrò expositio civium officio, cum *uniuscuiusq; particulæ procuratio totius procurationem intueri soleat naturâ*: jam verò æquè *urbis pars sit, qui imperat, quam qui paret*, orationem hanc consentaneum est, ad principem converti. Nam *hunc quoq; non ob quæstum privatum, sed salutem custodiamq; subditorum omnia facere oportet, & Imperio convenientis animi fructus verus est, intentum esse profuturis publicè rebus. Tyrannus in eo potentiam suam sitam putat, si suos ipse subditos debilitet, ac si respubl. robur aliquod acquirat, everſionem protinus ipse suam somniat. Verus autẽ rex ergà subiectos patris, pastoris, & si qua saluti consulere persona potest, eius locum obtinet: cumq; commodum suum contineri publico putet, & Christi minister sit, & magis illum imitetur in serviendo, quàm imperando, plus voluptatis capit regnum melius efficiendo, quàm illi ad quos eius rei fructus pervenit. Talu mihi sis, mi fili,* optat Imperator, *potiusq; publicam ad utilitatem, quam privatam adspexeris, hac ratione tum ipse Deum imitans, tum tuis hominib. teipsum imitandũ exhibens.* Prosequiturq; his verbis: *Vulgò hydrã resecare dicitur, qui rem, quam nequit assequi, molitur. Hanc imaginem in se transfert, qui privata commoda publicis anteponit: nam uniuscuiusq; bonũ publico continetur; seorsum certè nec privato, nec principi esse beato licet. Caput enim gerere curam membrorum oportet, ac vicissim membra capitis, si salvum debet animal conservari. Nam membrum, quod resectum est, cum seorsim esse cepit, hoc ipso est mortuum. Idem capiti, à membris diremto, contingere necesse*

Cic. l 3. offic.

Novell. 8. in pr. §. 2. Instit. de his qui sui vel al. iur. sunt.

Isocr. ad Nicocl.

Novell. Leonis 109.

Arist. 8. Polit. 1.

Max. Tyrius dissert. 41.

Stob. serm. 44.

Man Imp. c. 37. educ. regiæ.

Id. c. 36.

Ibid. c. 42.

cap. 43.

est, quippe nec membra vivere seorsim possunt. Cum itaq; civium salute contineatur & salus publica, nemo Regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat, qualiscunq; pars Imperii est, sed unà cum Lothario Imperialis benevolentiæ proprium esse judicet, commoda subiectorum investigare, & Reipubl. bonum statum ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis præponere. Sic quod communiter omnibus prodest, hoc privatæ utilitati præferendum esse censuit Justinianus imperialiter existimans, suum esse proprium, subiectorum commodum, in quorum prosperitate utiq; prosperari Magistratum, ait Bonifacius. Huc accedit vox Constantij: nobis amplas facultates opum, quæ sunt magni thesauri, integra omnium patrimonia, nostri labores & fortitudo servaverint. Hoc enim boni Principis menti, hoc successibus congruit prosperis. Et Valentinianus Imp. pro filio sponsor: quod pietatis, inquit, summum munus est, rempubl. ut domum paternam diliget. Deniq; cum civitas privatis compositorum civium moribus ad remp. invalescat, quoniam domus omnis pars civitatis est, homines autem domus partes: partis autem virtutem ad totius virtutem intueri oportet, certum est, singulas partes efficere, ut res universa vel præclarè, vel malè, se habeat. Quapropter aio, destrui oportere omnem & perturbationem & morbum animæ suæ, ab illo, qui officio suo in patriam satisfacturus est. Nam si in uno vitium est, etiam in civitate est, & nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitá, invicem. Hinc ferè contingit, ut qualis cuiusq; domus, tale prorsus & universum oppidum sit. Quamobrem opera cuiq; danda, ut sit bonus. Maximum enim Reipub. commodum in abundantiâ bonorum virorum consistit: quia iustis abundantibus florent omnia, auctis verò malis, perverturtur: & iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum. Sic igitur communis utilitas non seiungenda est à privatâ, sed una eademq; censenda. Quidquid enim patriæ prodest, id singulis quoq; particulatim est commune. Et, quod civi fuerit utile, civitati quoq; expedit. Ergò unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscuiusq; & universorum: quam si ad se quisq; rapiat, dissolvitur omnis humana consociatio. Tu itaq; Lector, ea habeas principia naturæ, ut utilitas tua communis sit utilitas, vicissim & aquè communis utilitas tua sit, sicq: audaciter inclamare queas:

O patria, utinam diligant te singuli	*Talis foret, tranquillior status tuus*
Cives, ut hoc ardet meum pectus tui	*Maneret, & motus domesticos mali*
Amore vero si voluntas Principum	*Ciere non possent, & hostes exteros*
Arcere posset omnium concordia.	

Cic. l.1. de finib. Senec. 1 clem. 16 lib 2. Feudor. tit. 52. in pr.

l. un. §. 14. C. de caduc. tollend. In prin. Proœmii lib. VI. Decret.

Ammian. Marc. lib. 17.

Id. lib. 27.

Plutar. in Cato: Maio.

Arist. 1. Polit. 13.

Isocrat in Nico Hierocl apud Stob. serm. 37.

Arist. 5. Polit. 9. Senec. Ep. 94.

Athen. lib. 10.

Arist. 9. Eth. 4.

Aristid. orat. de conc. ad Rhod.

Prov. c. 14. v 34.

Ibid. c. 28. v. 12.

Stob. ser. 37.

Cic. lib. 3. offic.

Ibid.

Euripid. citatus à Lycurg. in orat. cons. Leocr.

FINIS.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z156703705